

MARIA MAGISTRA MAGISTRORVM. Rupert. Li. in Cant.

Tobias Sadler sculp.

MARIA
HONESTISSIMARUM ARTIUM, ET SCIENTIARUM ANTIQUISSIMA, AMPLISSIMA, ET CELEBERRIMA
VNIVERSITAS
Celebrata

In Schola Rhetoricæ

à



Discipulis

P. MATHIÆ NEÜMAN,

Societatis JESU.





VIENNÆ AUSTRIÆ,
Typis & impensis Joannis Christophori Cosmerovij, S. C. M. Typographi Aulici.

ANNO M DC LXXVI.



DEI PATRIS
Dilectissimæ Filiæ,
DEI FILII
Integerrimæ Matri,
DEI SPIRITUS S.
Speciosissimæ Sponsæ,
MARIÆ,
Natæ ex Tribu Juda, de Domo David, &c.

Cæsarum Augustissimæ, Regum Serenissimæ, Ducum Potentissimæ, Principum Illustrissimæ, Nobilium Nobilissimæ. Cœlestium, Terrestrium, & Inferorum Dominæ, &c.

Patronæ Generis humani Clementissimæ.

AD Majestatis Tuæ solium me sisto O MARIA! sisto Altissimæ infimum, Immaculatæ maculatum, Dominæ mancipium, Patronæ reum,

Magiſtræ diſcipulum, Eloquentiſſimæ infantem, Reginæ tributarium. Tributum, laudibus tuis debitum, exigebas ab eo, qui de FILII TUI Téque laudantium Societate obſequi paratam mentem geſſit ſemper; exequendi facultatem, niſi privatos inter parietes, non habuit unquam. Hinc ut multa ſæpe voluerit, impulit obligata & ubique prona voluntas; pauca vel nihil ut potuerit, fecit rerum in Te commendandarum ſublimitas, & amplitudo. *In Te ſiquidem* (liceat ex S. Germano germanè tecum loqui) *ſi quis innumera dicat elogia, nunquam ſequetur ſcopum; tantum abeſt, ut illum attingat, & propoſitum in laudanda aſſequatur; cùm ſuperes omnem diſertam linguam, & omnem mentis aciem prætergrediaris. Etenim Tua magnalia vaſtiſſimum pelagus fecit gutta illa cœleſtis, quæ â Te manavit. Idcirco immenſitatis Tuæ divitiæ nulla vi comprehendi poſſunt, nec abſumi deliciæ. Et in quavis quidem alia re datur planè ſatietas: in Te verò laudanda & celebranda non eſt præ jucunditate voluptatis epulantium modus.*

modus.

modus. Hinc ſit, ut laudationum anſæ, quas ipſa porrigis, conijci mente non poſſint. Et quia indeficiens eſt fons, & hauriendo non exhauritur, imò quò plus hauritur, eò majorem centies aut millies aquarum copiam effundit, ideo fieri non poteſt, ut deſinant, qui hauriunt. Siquidem dum hauriunt, aquæ myſterium redundat, & redundatio mentes etiam vincit incorporeas, quanto magis immerſas corporibus? Tanta es Beatiſſima & Immaculatiſſima Virgo! (a)

Libenter proindè, ac ingenuè Fateor, me quoq; in laudes tuas pertractum eſſe; ſed non alio, quàm inductæ obligationis pondere; non alterius voluptatis illicio, quàm quæ naſci ſolet ex imbecillitatis conſcientia, & impotentia Te dignè prædicandi. Hinc ex compluribus Celſitudinis Tuæ titulis pauculos hóſce ſelegi, quibus Te obſequosè compellarem cum diſcipulis meis, eorúmque facundiam ex tyrocinio provocarem. Et fecerunt quidem illi, quantum per vires licuit; an autem fecerim Profeſſor, quantum per offi-


(a) S. Germ. orat. de Præſent.

cium debui, non leviter dubito, certò judicabunt alij. Nonnullos eorum, præsertim de schola Censorini, quia non parum simul timemus, *Sub Tuum præsidium confugimus*, ut judiciorum severitati clypeum obtendas, nostríque non oris, quod indisertum fatemur; sed cordis, quo multum voluimus, eloquentiam defendas: ijs verò, qui amore vulgandæ, vel recantandæ laudis Tuæ condire sciunt insipida (quis enim hoc delicato eruditionis sæculo ad gustum paret omnia?) mercedem de reciproco amore, materníque cordis benevolentia non deneges. Hanc dum cum Discipulis meis avarâ cupiditate depereo, non ista solùm modica, sed omnia omninò vitæ studiâ Tibi, post DEUM meum, addico, dedico, mancipóque; sum enim, ac æternùm maneo affusum pedibus

Majestatis Tuæ

Vile mancipium

Mathias Neũman.



ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DN. JOANNI JOACHIMO,

Sac. Roman. Imp. Comiti Slavata de Chlum & Koſchumberg, Gubernatori Domus Novodomenſis, Domino in Novadomo, Teltſch, Biſtritz, Chlumetz, & Hanſpach, &c. Sac. Cæſ. Regiæque Majeſtatis Conſiliario, Camerario, Magni Judicij Provincialis Aſſeſſori, Regio Locumtenenti, Supremo aulicorum Feudorum Judici, & Hæreditario Pocillatori in Regno Bohemiæ, &c.

Domino, ac Patrono obſervandiſſimè Colendo.

SUb Deiparæ in cœlo triumphantis præſidium priùs, ut

 dece-

decebat, confugi, quàm in terris opusculi hujus patronum quærerem, *Illustrissime ac Excellentissime Domine Domine Comes*. Sic enim à me fieri velle suspicabar Te clientem studiosum *Patronæ*, filium addictum *Matri*, Parthenium devotum *Virgini*, servum ingenuâ sponte obsequentem *Reginæ*.

A cœlo igitur in terras, â montibus æternis in profundam hanc miseriarum vallem oculos deflectens, dum Patronum inquiro, qui non tam pertenuem hunc conatum, quàm ipsius conatûs argumentum, quia Marianum est, foveat, atque defendat, non alius occurrit, quem majore adeam fiducia, quàm Tu *Illustrissime ac Excellentissime Comes*. Polles enim verò benevolentiâ contra malevolos, moderatione contra intemperantes, prudentiâ contra temere

temere judicantes, pietatis fervore contra frigidos Marianæ excellentiæ propugnatores. Ut nihil dicam de authoritate, quam priſca generis claritas, honorum ſublimitas, & geſtorum magnitudo componunt; quámque ex fontibus ſuis producturus eram, niſi modeſtia Tua prohibuiſſet, & calamo preſsè notatam typo ſubtraxiſſet. Dicendum tamen eſt aliquid; ut, cùm meritis ac gratijs obviare non poſſim re, affectûs ſaltem viciſſitudinem reponam, ſimúlque potiſſimam cauſam obiter exponam, cur exiguum hoc opuſculum Illuſtriſſimo Nomini Slavatino dicari expoſcat. Nimirum, ut jam inſinuavi, quia Marianum eſt, Marianæ quoque familiæ, cum præfidentia veniæ, vult nuncupari. Quis autem in patria tam peregrinus eſt, quem fugiat magna

in cœli terræque Reginam pietas, qua cultui ejus laudúmque titulis ſemper intenti amores tantæ Matris Vobis conciliare ſtuduiſtis, vetuſtæque Veſtræ proſapiæ adijcere ornamentum? Nolo redire in ſæculum proximè lapſum, unde veritati huic adferam ſuffragium; viridem adhuc labentis ſæculi conſulo memoriam, indéque produco digniſſima immortalitate nomina, quæ ſe ſe nominibus multis Dei-parenti fortiſſimè obſtrinxerunt. Occurrit Excellentiſſimus ille Guilielmus, Supremus regni Cancellarius, qui proniſſima voluntate pleniſſimóque in Matrem pulchræ dilectionis propendens affectu, nè pretium deeſſet affectui, liberale inſuper adjecit argentum, quo nobilis in primis perficeretur Baſilica Boleslaviæ, & ejuſdem hiſtoria typis expreſſa

ad

ad posteros promoveretur. Occurrit *Illustrissimus Baro Joachimus*, qui postquam fabricandæ illi moli pia promptitudine præfuisset ædilis, invigilâsset operisque, attendisset figuræ, dimensioni, distributioni, reliquisque partium ædificandarum modis, nè quid informe irreperet in ædem formosissimæ Dei Matris; ac nihilominus grassantium Svecorum squalor non modicam partem deformâsset, sic deformatam ex ære non tantùm proprio sed & alieno, quod piorum liberalitas contribuit, pristino restituit nitori ac venerationi. Occurrit ultimus Rosensis sangvinis surculus Lucia Ottilia, quæ laudato Guilielmo non magis thoro, quàm Mariana pietate conjuncta, pari studio æmulisque curis Deiparæ cultui intendebat; id quod loqueretur Divæ hujusque

ama-

amabili pulchráque gratiâ fabricata ſtatua, in metropolitana Eccleſia Pragenſi ſpeciali devotione culta, & pretioſo ornatu exculta, niſi turbulentæ hæreſeon inſolentia pium illud ſimulacrum auſu impio confregiſſet, ac profanâſſet. (a) Sed loquitur tamen Veteris Oetingæ celeberrima Statio, quantà affectuum conſpiratione, quámque munifica ſedulitate Magnæ Matris benevolentiam ſibi demereri ſtuduerit tam nobile par conjugum Guilielmus & Lucia. Tria namque aureorum millia liberaliter elargiti perpetuum alunt cenſum binis in hebdomades ſingulas celebrandis Sacrificijs, & pauperum indigentiæ quandoq; ſublevandæ; alia tria aureorum millia in auro gemmiſque fulgentia dona, Slavatinæ liberalitatis monumenta, piæque obligationis vin-

(a) *Simon Kapihorsky in hiſt: Monaſt: Sedli: ad ann: 1619.*

vincula, quibus Marianos favores trahere voluerunt, sibique æternùm illigare.

Et verò eam traxere beneficiorum seriem, quæ Familiæ tantæ æstimationem, futuris sæculis non levem conciliat admirationem. Proturbabatur ex arcis Pragensis fenestra in subjectam fossam pro Deo dimicans, pro fide flagrans, pro Maria zelans, pro Cæsare constans Guilielmus; & Mariam, quæ tunc in aëre volitare visa est, præsentem habuit, ac protegentem. (a) Morbo periculi plenissimo vexata non semel ingemiscebat Lucia, & in sævissimis doloribus vitæque limine artis medicæ quærebat præsidia; quæ cùm apud Archiatros reperiret nusquam, ad Divam Boleslaviensem ac Oetinganam precibus votoque conver-

(a) *P. Laur: Chrysog. p. 2. Mundi Mar: in Dedic:*

sa

ſa deſideratam retulit gratiam ſanitatis. (a) Infeſtabat Novodomenſes incolas peſtiferæ luis pertinacia, qua proſtrati contribules non pauci domicilijs multis ſui exceſſu faciebant orbitatem; non erat in humanis, qui graſſantem tyrannidem coërceret, coërcuit, luemque diffuſam abſterſit DEI Mater, quia ſponſionibus utriuſque Dominationis inducta, ſupplicationibus fatigata muneribus honorata. (b) Adeo verum eſt: quidquid in Dei Deiparæque cultum impenditur, non proijci, ſed bene collocari: nec collocari ſolùm, ſed feliciſſimè etiam elocari, quoniam cum fœnore recipitur, quod liberalitate modica honori Parthenio profunditur.

(a) Arſen: in Diva Boleſl. c. 15. Iacob. Irſing S. I. lib. 3. c. 10.

(b) Iac. Irſing l. 3. c. 11.

Et hæc Marianæ pietatis, munificæque voluntatis ſpecimina, quæ

quæ in Illuſtriſſimis Slavatis, jam vitâ functis, refulſerunt, ſufficient, opinor, brevitatem amantibus, cùm proſequi omnia nequeamus. At de vivis quid referemus? Nolo eorum provocare ruborem, quia facere quiſque mavult, quàm *dicier hic eſt.* Illud tamen non aſſentationis lenocinio, ſed vulgatæ veritatis impulſu dicere liceat, Te, quocum mihi hîc præcipuè ſermo eſt, *Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Comes*, non ſangvinem ſolùm â Majoribus traxiſſe, ſed Marianam etiam pietatem, ſub Matre præſertim ſolidarum virtutum, ac conſtantiſſimæ devotionis Magiſtra, Cæſareique ſangvinis Educatrice capaciſſimo pectore concepiſſe; calentibus ſiquidem ſuccenſus flammis eos erga Partheno-Parentem Dei MARIAM exhibuiſti affectus in ætate tenera, quos cum incremento

mento annorum nutris in adulta, & de provecta deferes in annos æternos. Tua accessione aucta, illustratáque diversa per Germaniam Sodalitia, eadèmque exemplo magis quàm authoritate gubernata; Tuo sequendi studio calcata vestigia, quæ posteris reliquere antecessores Tui, currentes pro beneficijs sive ad Oetinganam Bavariæ, sive ad Cellensem Styriæ, sive ad Hitzinganam Austriæ, sive ad Sacromontanam Bohemiæ; Tua precandi constantiâ interpellata gratiarum Mater, & non obstante negotiorum mole fusiùs interpellatur quotidie; Tua denique in cœli Reginam obsequia produnt reverentiam, qua Te servum profunda dejectione profiteris; agnosceris interim magnæ Matris filius, & dulcedine materna exceptus continuò roboraris ad cul-

cultum ejus tum in Te, tum in alijs augendum, præconésque defendendos. Ut proinde dubitare non audeam, quin hi pauci tituli, sub Illustrissimi Nominis Tui patrocinium confugientes, experturi sint, MARIÆ titulos Tibi proprijs esse potiores. Quæ quidem præcipua fuit ratio nuncupationis meæ: sed & aliam non subticeo, edendi nimirum signum aliquod meæ in Te observantiæ ac gratitudinis, quam effusa humanitate Tua sæpius provocâsti. Signum hoc parvum censeri debet, si opera spectetur; magnum dici potest, si affectus, vehementer magnum si materia, quæ tractatur; de MARIA siquidem dicitur: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole.* (a) Aliud proferre non volui, in primis quòd adverterem, signum ad placitum futurum animo Tuo, (a) *Apocal. c. 12.*

cui


cui nihil displicuit unquam, quod honori magnæ Matris impendebatur; deinde quòd ominarer, quemadmodum Solis & Lunæ beneficio marinæ conchæ progenerant margaritas, ornamenta nobilissima, ita sub hoc signo MARIÆ, sole lunáque fulgentis, Tibi ex una MARGARITA nascituros seros nepotes, qui non tantum familiæ Slavatinæ, sed & Marianæ multiplex facient ornamentum. Ita vovet, ita precatur

Illustrissimæ Excellentiæ Tuæ

Addictissimus in Christo servus

Mathias Neuman,
è Societate Jesu.

PRÆ-



PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Memineris, Amice Lector, ex Ratione studiorum, *quæ Juventus in Scholis nostris prosequitur, esse, partim, ut* Declamatio vel prælectio, vel carmen, vel græca oratio, vel carmen simul & oratio Humanistis convenientibus postremâ semihorâ antepomeridianâ ab uno aut altero discipulorum è suggestu alternis Sabbatis; *partim ut* in aula templóve gravior oratio singulis fere mensibus *habeatur.* (a) *Quibus regulis, ut qua par est, promptitudine satisfacerem Rhetorum cathedris admotus, cœpi mox apud animum meum disquirere, quam potissimum ex sacris materiam tractandam susciperem*

(a) Reg. 18. & 17. Prof. Rhet.

rem

rem, quidve à Discipulis dici prædicarive præstaret. Occurrère tunc nonnulli, qui annuos Rhetoricæ suæ labores Verbo Incarnato dicârunt; & placuere: cui enim meliùs dicarentur à Socijs, quàm Societatis totius Duci ac Capiti? Constitui proinde & ego Dei-Hominis elogia quædam, carmine simul & oratione exprimenda, eáque in ordinarium thema digesta Discipulis tradidi componenda. Sed non stitit hîc scholasticarum cogitationum solicitudo; fluentibus siquidem annis, & refricante memoriam illo, quod in R. P. Joannis Nadasi Annalibus Marianis (a) *legi, universam Societatem* JESV *esse simul* Societatem laudantium B. Virginem: *accedente insuper S. Patriarchæ nostri monito*, (b) ut disquisitis studiosè verbis ipsius Dei Matrem dignè compellaremus; *solicitè indagavi nonnullos titulos, quos in immensa prope Marianorum encomiorum*

(a) *Anno* 1556. §. 115.

(b) *In lib. Exerc. hebd.* 2.

miorum copia repertos nonnihil premerem. Et ecce multa cogitanti, nec in magnis præsumere volenti arriserunt hi pauculi, quorum argumenta Discipuli non sine sedulitate ac æmulatione elocuti sunt, & calamo dein meo nonnihil limita declamârunt eâ audientium admurmuratione, qua & dicentes laudarent, & dicta, insuper legenda, expeterent. Rogatus non semel, quid facerem? Puduit perexiguæ, ac non excultæ elocutionis; argumenti non puduit. Occurrit animo, multorum scripta à Lectoribus vilipensa esse, quæ cum admiratione ab ijsdem Auditoribus sunt excepta; & ideo à communicatione legendorum retrahebar: suggessit tamen memoria Purpurati Ecclesiæ Doctoris luctam, in qua: Desiderium, *inquit,* me trahit, ut de Deipara verba faciam, & formido me retinet in silentio, ut non habeam facultatem dicendi pro dignitate.

Animus

Animus hortatur, & metus deterret; ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Cùm ergo ab utroque detinear, expedit mihi, ut sermonem habeam de celebri & Sancta Virgine. (a) *Atque his verbis ita animabar, ut Mariana encomia, quæ de Scholarum pulpito audienda dederam, etiam ex papyro legenda proponerem. In considerationem proinde denuo revocavi omnia; alienas periodos, si bene memini, expunxi, citationibus instruxi, & illo demum stylo conformare conatus sum, quem accuratiores discipuli ex Authoribus haurire velle videbantur. In quo quidem nonnullâ reprehensione dignos censere posses, quasi ab* uno Cicerone (b) *recesserint: nisi similem reprehensionis notam illis ipsis Authoribus nostris inurere necesse foret. Non enim deest Cicero, ubi suas in periodos, & verborum copiam oratio fluit, quam-*

(a) *S. Hier. ser. de Assum.*

(b) *Reg. 1. Prof. Rhet.*

quamvis subinde ponderibus sententiarum suspendatur. Varietas quandoque delectat; & in Sapientum quoque convivio non idem semper placet ciborum apparatus. Principem omnino locum apud nos tenuit in omnibus eloquentiæ princeps; in genere tamen demonstrativo, ubi multa ad voluptatem aurium afferuntur, (a) sæculi genio, & Auditorum gustui nonnunquam sese accommodare, dignum veniâ judicavimus. Sed & hic judicio fortasse tuo non satisfecimus. Quid mirum? labores enim sunt talium, â quibus difficulter perfectionem exposcas; cùm ipse illorum Professor sit adhuc discipulus Magistrorum, & Magistræ Rhetorum MARIÆ. Qui satis habuit in laudibus Marianis saltem immaduisse, nec sicco prorsus pede facundas Authorum panegyres percurrisse, licet apud eum non exundent eloquia magnis majora fluminibus.

(a) Caussin. de Eloq. l. 2. c. 12.

Non

Animus hortatur, & metus deterret; ille quidem trahit me, iste verò me abstrahit. Cùm ergo ab utroque detinear, expedit mihi, ut sermonem habeam de celebri & Sancta Virgine. (a) *Atque his verbis ita animabar, ut Mariana encomia, quæ de Scholarum pulpito audienda dederam, etiam ex papyro legenda proponerem. In considerationem proinde denuo revocavi omnia; alienas periodos, si bene memini, expunxi, citationibus instruxi, & illo demum stylo conformare conatus sum, quem accuratiores discipuli ex Authoribus haurire velle videbantur. In quo quidem nonnullâ reprehensione dignos censere posses, quasi ab* uno Cicerone (b) *recesserint: nisi similem reprehensionis notam illis ipsis Authoribus nostris inurere necesse foret. Non enim deest Cicero, ubi suas in periodos, & verborum copiam oratio fluit, quam-*

(a) *S. Hier. ser. de Assum.*

(b) *Reg. 1. Prof. Rhet.*

quamvis subinde ponderibus sententiarum suspendatur. Varietas quandoque delectat; & in Sapientum quoque convivio non idem semper placet ciborum apparatus. Principem omnino locum apud nos tenuit in omnibus eloquentiæ princeps; in genere tamen demonstrativo, ubi multa ad voluptatem aurium afferuntur, (a) *sæculi genio, & Auditorum gustui nonnunquam sese accommodare, dignum veniâ judicavimus. Sed & hic judicio fortasse tuo non satisfecimus. Quid mirum? labores enim sunt talium, â quibus difficulter perfectionem exposcas; cùm ipse illorum Professor sit adhuc discipulus Magistrorum, & Magistræ Rhetorum MARIÆ. Qui satis habuit in laudibus Marianis saltem immaduisse, nec sicco prorsus pede facundas Authorum panegyres percurrisse, licet apud eum non exundent eloquia magnis majora fluminibus.*


(a) Caussin. de Eloq. l. 2. c. 12.

Non


Non intendimus, crede Amice Lector, oratores videri; sed Magnæ Patronæ clientes, & tales quales Divæ Matris præcones. Poſtquam Dei-Genitrix (*loquor cum S. Petro Damiano*) ſtylum direxerit, & linguam pauperis venuſtiori reſperſerit eloquio, tunc fortaſſe de magnificentijs ejus aliquid nitidiore facundiâ depromemus. (a) *Interim paucos hos titulos velim ita legas, ut eos nonniſi praeunte benevolentiâ judices. Si tibi placuiſſe cognovero, dabo fortaſſe plures de Deo-Homine, dabo de Sanctis.*

(a) *S. P. Dam. hom. de Aſſum. & S. Bern. Sen. ſer. 61. de B. V.*

Vale.



Appro-



Approbatio.

R. P.

PROVINCIALIS,

Soc: JESV, per Provinciam Bohemiæ.

Cùm Librum, cui titulus est: Maria Honestissimarum Artium, & Scientiarum Universitas, &c. à P. Mathia Neürnan, Societatis nostræ Sacerdote, conscriptum, tres ejusdem Societatis Sacerdotes recognoverint, ac in lucem edi posse judicaverint: potestate


à Pa-

à Patre Nostro, Joanne Paulo Oliva, Præposito Generali, ad id mihi datâ, facultatem concedo, ut liber typis mandetur.

In quorum fidem has Literas manu meâ subscriptas, & sigillo officij mei munitas dedi. Pragæ 28. Decembris 1675.

Georgius Hohenegger.

IN-



INDEX ORATIONUM.

Oratio

Oratio VIII.

MARIA, ad humani corporis sanitatem tuendam morbósq; profligendos erudita, ideóq; Magistra Medicinæ.

Oratio IX.

MARIA, justi & iniqui scientiâ Clarissima, generísque humani Advocata, ideóque Magistra Jurisprudentiæ.

Oratio X.

MARIA, ad apicem scientiarum, Theologiam evecta, ideóque beatissima Magistra Theologiæ.

Oratio XI.

MARIA, de actionibus Christianorum licitis, vel illicitis edocta, ideóque prudens Magistra Moralis Theologiæ.

Oratio XII.

MARIA, hæresum & falsarum opinionum interemptrix, ideóque gloriosa Magistra Controversiarum.

Oratio XIII.

MARIA, vas electionis, vero Sacrarum Litterarum sensu abundans, ideóque Magistra Sacræ Scripturæ.

Oratio XIV.


MARIA, vera Christianorum Minerva, ideóque cæterarum honestissimarum Magistra artium.

Oratio XV.

Ad

MARIÆ, & Scientiarum honestissimarum amatores parænetica.

PRÆ-




PRÆCONIUM.

S. Germanus, Conſtantinopolitanus Antiſtes, & facundus Marianorum decorum præco MARIAM vocat *Dabir, in quo divini Sanctæ Ecclesiæ Myſtagogi, Judicis tenentes ſedem, divinarum revelationum futura prædixerunt* (a) *Dabir* autem fuit *Academia Palæſtinæ* (b) ab Hebræis dicta *Cariathſephor*, ſeu *Civitas litterarum*, vel *loquela* (c) enucleans, quod abditum latebat. (d)

(a) *Orat. de Nat. B. V.*
(b) *Adricomius.*
(c) *Origenes hom. 20. in Iosue sub fin.*
(d) *Theoph. Raynaud. in Glossar. Nomencl.*

ORATIO I.

MARIA Antiquissima, Amplissima, & Celeberrima Scientiarum Universitas.



CAnescentibus Autumni Gratijs, â quibus ad virium vestrarum restaurationem per profunda vallium, excelsa montium, frondosa nemorum, piscosa fluminum, diffusa pratorum, fructuosa hortorum hactenus circumducti estis; & transactis, ut opinor, feliciter turgentium uvarum vindemijs, repleta demum vinis Regij Sponsi *Cellaria*; (a) vel, ut ex Chaldæa Hebræáque versione loquar, *Secretam Divinæ Doctrinæ Domum ac Civitatem*, vel, ut sensum aliorum exponam, honestissimarum Scientiarum Universitatem vobis aperturus, adveni, Adolescentes Lectissimi, Auditores humanissimi. Universitas hæc nova quidem, quia *Novum creavit Dominus super terram: Mulier circumdabit virum*; (b) antiquissima tamen est

(a) *Cantic.* c. 1.

(b) *Ierem.* c. 31.

est à temporum ætate, amplissima à Fundatoris munificentia, celeberrima á laudum frequentatione; quia sive nobilissimam, purissimámque originem attendas, sive gratiarum ac privilegiorum amplitudinem exposcas, sive Magisterij præcellentiam requiras, sive discipulorum nobilitatem spectes, sive Bibliothecæ selectum desideres; superat Romanam Sapientiam, Sorbonica Augustalia, Salmantica Emporia, Atheniensia lycæa, cateráque scientijs illustrissima Athenæa. Quòd nè magnificè magis ex verborum pompa, quàm veraciter ex veritatis amore dicere videar; adeste animis, qui ad sublimiores cogitationes nati, ad sincera judiciorum sensa proni, ad veritatis indagandæ negotia educati estis, & unde veritati suffragium deposcam, quive nervus eloquentiæ meæ futurus sit, mente, qua prædití estis, animadvertite. Potuítne, quæso, cæteris pretiosissimis operibus illud esse inferius, quod ab initio & ante sæcula in uberrima Dei

mente conceptum, efformavit universorum Opifex; liberalitatis suæ thesauro *fundavit Altißimus;* disciplinis optimis instruxit *Magister unus Christus;* (c) gratijs ac privilegijs donavit idem *Rex regum*, & *Pontifex* etiam *futurorum bonorum* longè maximus? Non potuit. Quis igitur verborum magnificentiæ adscribat, aut vocum blandimenta reputet, quæ de argumenti soliditate, déque veritatis robore à me prolata sunt? Non delector AA. inani verborum flumine, si pro causæ gravitate, gravissimè ponderata SS. Patrum authoritas, possit adduci, & rationis perspicuitas in eloquentiæ obsequium vibrari. Non sapiunt sine medullis ossa candida, picturata sine succo poma, tumentes sine lacte mamillæ, sermonis amplitudo sine condimento. Quanquam quæ tanta dicendi copia, quæ longissimarum periodorum mensura sufficiat, quà Rhetoricæ discipulus dimetiri valeam materiam Damiano *ineffabilem*, Hugoni *ineffabiliter sublimatam*, Augustino *indicibilem?*

(a) *Matth. c. 23.*

bilem? Non est verbosa rei exaggeratio, ubi facundia omnis profusissimo impendio sui deficit, & causæ commendationi est impar. Nec potest à verborum splendore adsciscì ornatus, ubi dictionis materia creatam superat pulchritudinem.

Agam proinde, quod ago; & sive vocum selectu, sive rerum granditate *Amplissimam* omnino atque *Antiquissimam* scientiarum *Vniversitatem* celebrabo. Quod dum prono magis in communem Matrem, quàm docto in *sapientiæ sedem* amore facio, cogitate, insuper subditum Reginæ studiosi laboris tributum deponere; & si impensus in magna conatus suâ destitui non debet mercede, hanc à vobis humillimè deposco, ut me libenter audiatis.

Constat ex Divinissimi Spiritus oraculo, Sapientiam ædificâsse sibi Domum, materiâ elegantem, structurâ augustam, artificio mirabilem; (a)ejusque molem suffulcijsse columnis septem, numero citra dubium mysterijs pleno, nisi addidisset vocem

(a) *Ferdin. Salazar in Prov. c. 9.*

cem

cem *sibi*, ad denotandum, non alterius usui destinatam esse, quàm Sapientiæ, quæ septem liberalium artium institutionibus (a) veluti quibusdam basibus innixa omnium facta est Vniversitas scientiarum. Sed quæ demum est illa moliminis tanti, tamque augusti nominis Domus? aut si cum Jobo, sapientiæ sedem inquirente, interrogare licet: *Sapientia ubi invenitur, & quis est locus intelligentiæ?* (b) Si circa cæli, nos ambientis, cardines eam studiosè quæritis, non improbo; si dum gyrum rotundæ illius, totque facibus illustratæ molis circuiret, columnas suas in gyrum cæli posuisse, sapienter existimatis, non contendo; si circumfuso in aëre, ubi Dominus tribus potentiæ suæ digitis appendit fundamenta terræ, solicitè indagatis, non impedio; si in altissimis plenæ majestatis sedibus habitare suspicamini, non inficior; si denique cum Propheta Baruch (c) eam ultra rejecta maria investigatis, permitto; interim tamen piè fidentérque assero, non ultra vel extra

(a) *Hugo Cardin. apud Salazar.*

(b) *Iob. c. 28.*

(c) *Cap. 3.*

Mariam

Mariam fuiſſe fundatam, & vel ideo antiquiſſimam, quia *ante omnem creaturam præfundatam.* (a) Vos ego hic teſtor Sacros Eccleſiæ Sanctæ Patres, Sapientiæ virtutíſque miracula, Auguſtine (b) Hieronyme, (c) Ambroſi, (d) Damiane, (e) Ignati, (f) Bernarde, (g) Bonaventura, (h) Ildephonſe, (i) Idiota, (k) & Andrea Cretenſis, (l) an non omnes uno ſimul ore affectúque in hoc conſpirâſtis, ut diceretis Domum iſtam, tot divinæ providentiæ ſumptibus elatam, eſſe Dominam veſtram, MARIAM? O præconium! quo in immenſa titulorum copia, laudúmque Marianarum affluentia (Maternitatem reliquarum gratiarum radicem excipio) vix excellentius aut ſublimius potuit enuntiari!

(a) *Pſal. 86. v. 5.*
(b) *Lib. 5. de Civ. Dei.*
(c) *In cap. 7. Iſaiæ.*
(d) *l. 2. de Sp. S. c. 8.*
(e) *Ser. de Nat. B. V.*
(f) *In Epiſt. ad Philipp.*
(g) *In Ser. 9. ex parvis.*
(h) *In Spec. c. 8.*
(i) *In lib. de Virg. & part.*
(k) *In Contempl. Virg.*
(l) *Orat. in Salut. Ang.*

Ite nunc alij magnæ Patronæ clientes, Dominæ defenſores, Reginæ miniſtri, Advocatæ advocati, Matris adoptivi filij, & pro generoſa ingenij veſtri fæcunditate celſitudinem ejus magnificis celebrate præconijs; nos in ejuſdem obſequia ju-

cratissimi; hâc solum voce Deiparam extollemus: *Sapientia ædificavit sibi Domum.* Salutate illam ex religiosissima Ephremi (a) pietate *Paradisum delitiarum*; ex aurea Chrysostomi (b) facundia *Animatam Dei civitatem*; ex ambrosia suavitate Ambrosij (c) *Æterni Regis aulam*; ex mellifluo Bernardi (d) flumine *Habitaculum Filij Dei:* nos academicis incedentes cothurnis, cum Sanctissimis Oratoribus eam dicimus *Sapientiæ Domum*, Matrem & nutricem Doctorum; ut quod flagrant corda, volunt sensa, sitiunt vota, laborant ingenia nostra, non obscuro argumento evincamus optimarum scientiarum & artium Vniversitatem.

(a) *Orat. de Deip.*
(b) *Orat. de Annunt.*
(c) *Epist. 79. & 82.*
(d) *Ser. 4. de Assumpt.*

Enim verò si celeberrimas inter Italiæ urbes non postrema Bononia; studiorum mater seu nutrix audire voluit, quia Sapientiæ studiosos & Sinu complectebatur materno, & mentes ex ignorantiæ tenebris vindicabat in lucem, & humanos intellectus amabili disciplinarum lacte nutriebat ad politioris vitæ rationes;

nes; quanto magis Sapientum nutrix dici debet MARIA, à cujus uberibus tot cum Bernardo pendent filij, quot Catholicæ orbis palæstræ habent doctores? quanto verius sinceriúsque prædicari potest Mater, cujus cura tam accurata est, ut propositâ Sapientiæ mensâ vinum misceat, (a) nè discipuli plus sapiant, quàm oportet sapere, sed sapiant ad sobrietatem? cujus benefaciendi promptitudo *tanta est*, ut mittat *ancillas suas* (b) seu scientiarum Supremæ Facultati ancillantium præcones, qui ad Vniversitatis mænia mansuetioris & sobriæ litteraturæ epulo reficiendos parvulos, ad ipsam verò sublimiorum disciplinarum arcem insipientes, sive divinarum rerum *ignaras mentes* c) convocent, ut *in hoc spirituali verborum convivio* (loquor cum Andrea Cretensi) *à Verbi Matre secundùm carnem cognoscant Filium, qui omnem superat Theologiam?* (d)

(a) *Prov. c. 9. vers. 2.*

(b) *Ibid. v. 3.*

(c) *Ferdin. Salazar hic.*

(d) *Hom. de dorm. B. V.*

Et verò *filij tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (e) O MARIA! Habuerunt profectò invitantium

e) *Psal. 127.*

præconum voces robur aliquod, quando à ſedecim & ultra ſæculis infinitam pene diſcipulorum multitudinem ſacerrimis doctrinis erudiendam, in gremium tuum ſuaviſſimo illicio pertraxerunt, & non tam *Matriculam*, quàm Auguſtiſſimam pulcherrimámque Matrem tot filiorum nominibus fæcundârunt. Vix enim in bene conſtitutam, atque ab æterno ordinatam hanc Vniverſitatem intravit Magiſtra Veritas, doctoralique Virgineæ carnis epomide circumdata, in *Sapientiæ Domo* (ſic uterum Virginis vocat Hieronymus (a) tanquam in cathedra conſedit, & ſtatim nacta eſt diſcipulum nondum natum, ſed maternis viſceribus adhuc clauſum, qui ad præſentiam Verbi non ſine ſubſultu didicit *Alpha* & *Omega*. Vix ea luci publicæ de caſtiſſimo Matris gremio propoſita fuit, & jam advolârunt de cœlo angeli, ex oriente reges, ex arvis paſtores, *omnes* omnino *docibiles* DEI (b) diſcipuli; cùm etiam bos & aſinus cognoverint *Verbum*: Vix fama illius per

(a) *S. Hieron. in Iſ. c. & lib. contra Helvid.*

(b) *Ioan. c. 6.*

per vicinas regionis oras percrebuit, & jam ambiebant eum tunc fluentis sæculi sapientes, sedentemque in medio Doctorum stupebant omnes *super prudentia & responsis ejus.* (a) Magna nimirum Sapientiæ vis est, ubi semel amorem sui per corda mortalium conciliavit. Fæcundus ejusdem partus brevissimo etiam temporis spatio non modicum capit incrementum. Nam ut taceam dilectos illos, qui relictis vel malè contextis retibus, vel periculoso telonij quæstu, vel judæis placendi studio, Incarnatæ Veritati sacramentum dicentes in Academiæ gremium sunt recepti, dicite, obsecro, an omnes discipuli (quamvis eos plerumque ponderare non numerare oporteat) numeris Arithmeticæ comprehendi, orbis admiratione capi, eloquentiâ Oratoris exprimi possint, qui à Nobilissima pariter ac dulcissima Sapientiæ Nutrice MARIA ad florem adolescentiæ lactati, ad fructûs maturitatem educati, ad honorum messem exercitati, ad gloriæ denique

(a) *Luc. c. 2.*

que lucra per Philosophiæ pulpita, Sacra scripturarum oracula, subtiles Theologiæ quæstiones sunt eruditi, ac instituti? Succumbet Arithmetica, deficiet disertissimus orator, attonitus hærebit mundus, si ad calculos revocaverint Doctorum multitudinem, qui ex hac Parthenia Vniversitate prodiverunt, & scientiæ suæ radijs illustrârunt Europam, inflammârunt Asiam, incenderunt Africam, confoverunt Americam. Numera stellas, si potes, & numerabis orbis Doctores, qui in fulgido Sapientiæ cælo, quasi stellæ refulgent in perpetuas æternitates. Si distinguendis notandísque sideribus conatus tuus non succubuerit, neque recensendis Doctoribus succumbet. Numerabis fortasse pendentium in firmamento nitidos facularum ignes, qui vegetas oculorum acies non fugiunt; sed numerabis etiam Doctores Parthenios, Augustinos, Gregorios, Hieronymos, Ambrosios, Chrysostomos, Aquinates, Albertos Magnos, Chrysologos

logos, Bernardos, Leones, Nazianzenos, Bonaventuras, Suarezios, Scotos, Cajetanos, Bellarminos, Vasquezios, Salmerones, Lessios, & sexcentos alios; quia viri magni sunt, scientiarum soles, Magistrorum Magistri, eruditionum columnæ, hæreticorum mallei, labantium Academiarum fulcra, vacillantis Sapientiæ firmamenta. Verùm sicuti illas cælo pendentes faculas in computum minimè trahes; quas vel nimia distantia, vel luminosi corporis parvitas, vel confusa multitudo oculis nostris eripit; ita in numerum difficillimè coges tot sæculorum Magistros, qui in remotissimis terræ angulis, in rejectis littoribus, in omnibus quà publicis, quâ privatis cathedris, & nationes barbaras, & populum moribus humanum, gloriosâ Sapientiæ luce perfuderunt, non sine ingenti commendatione sui & Vniversitatis Marianæ, ex qua scientijs instructissimi prodiere. Ego enim sic existimo, quemadmodum debentur Phœbo radij;
fru-

fructus radici, trunco rami, ramis folia, germen semini, fontibus rivi, mari flumina, quæ longis circumacta flexibus tandem recurrunt; ita gloriam omnem, quam orbis Catholici litterariæ respub. unquam comparârunt, redundare in hanc nostram Vniversitatem, quæ à sobriè sapientibus amplissimè semper audijt: *Mater Academiarum.*

Et si celeberrima Vniversitas Pragensis simili Matris titulo gloriatur, quòd condendis Academijs Cracoviensi, Erfordensi, Tubingensi, & Lipsiensi submiserit colonias, atque incorruptæ tunc, veritatis professores; si Archigymnasium Viennense, amplissimum litterarum augustale, gaudet, se tot almas filias, Græciensem in Styria, Ingolstadiensem in Bavaria, Friburgensem in Helvetia, Diliganam in Suevia, Tyrnaviensem in Hungaria genuisse Academias; Si Parisiense Lycæum omnium, quæ in Hispania, Gallia, Italia, Lusitania, Germania sunt, celebrium Scholarum florem & incrementa in commen-

men-

mendationis suæ partem gloriosè magis, quàm verè trahit, quòd ex ea vel transtulerint institutionis rationem, vel exemplo ejus impulsæ fuerint ad æmulationem; (a) longè majori laudum & decorum suorum censu gloriari poterit MARIA, quam non paucæ, sed omnes omnino melioris mundi Vniversitates venerantur ut Matrem, fovent ut nutricem.

(a) *Perpin. orat. 18.*

Non potest, nisi cum impudenti ausu, & palmari perversi animi scelere negari, à MARIA enutritam esse veram æternámque Sapientiam, quæ per omnium Scholarum pulpita gloriosis curulibus circumvehitur, & anhelis Discipulorum mentibus instillatur. Injurius sit Catholicorum Doctorum aliquis, qui ad sublimiores scientias educatum se agnoscit, debitum tamen honoris ac grati animi tributum denegat educatrici Mariæ, quam devotissimæ mentes semper veneratæ sunt cum Ruperto *Magistram Magistrorum*, (b) cum Idiota *Doctricem Doctorum*, (c) cum Anto-

(b) *S. Rup. lib. 1. in Cantic.*

(c) *Cap. 3. de Contempl. V.*

Antonino *Magistram Doctorum Ecclesiæ Apostolorum & Evangelistarum*, (a) cum Andrea Hierosolymitano *Domum benedictam, quæ cælestem thesaurum, in quo omnes Sapientiæ & Scientiæ thesauri sunt absconditi, in tuto Virginitatis, velut cellâ penuaria, sine coarctatione conservavit.* (b)

(a) *S. Antonin. apud Cartagenam.*

(b) *Ibidem.*

Agnosco ego te talem O MARIA! & quia me quoque sapientiæ desiderium accendit, da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam (c) ut & ego lacteo illius rore, quem primis discipulorum tuorum labris instillas, enutriar, & felicissimis adolescam auspicijs ad meam multorumque salutem.

(c) *Sap. c. 9. v. 4.*

Sed nè longius abeam in affectus, lubet inquirere, unde tanta Vniversitatis nostræ per omnes terras dilatatio? unde tanta MARIÆ dignitas, ut quotquot eadem habuit discipulos, tot Christiana tempora numerârint Doctores; quot laudum titulos retulere Gymnasia, tot eadem nacta sit sui præcones? Dicam A. A. quod sentio. Advolant ad pabula florum apes, quia dulcia sunt; adamant

mant solem aquilæ, quia clarus est; currunt ad matrem filij, quia benigna est; bibunt de fontibus plurimi, quia limpidis aquis abundant: quid mirum, si ad Mariam quoque advolet discipulorum multitudo, quia pascit Sapientiæ dulcedine, instruit verborum claritate, fovet materna benignitate, implet doctrinarum abundantiâ, sustinet morum Sanctitate, excellentissimi denique Magisterij exhibet arg.menta. Non potest non enitentibus ad Sapientiam appetibilem propinare succum, cujus *spiritus super mel dulcis est*: (a) refugit obscuritatem doctrina, ubi ipsa doctrix est *amicta sole*: (b) frequentantur pulchri filiorum affectus, ubi *Mater pulchræ dilectionis* (c) ludit amoribus; non potest abesse ordinata Scientiarum copia, cùm & *Dei virtus ac Sapientia*, & *omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ sint in Maria*: (d) aderit morum integritas in ea Domo, quam *decet Sanctitudo*: (e) illam denique disciplinarum Magistram oportet esse perfectissimam, sub *cujus disciplina &* arbi-

(a) Ecclesiast. c. 24.
(b) Apocal. c. 12. v. 1.
(c) Ecclesi. c. 24.
(d) Ansel. super illud: Intravit Jesus in quoddam castell.
(e) Psalm. 29.

arbitrio Infans Deus versatur. (a) Ut proinde mirari nemo debeat, â tam fæcunda, amabilíque studiorum Matre tot Universitates, velut filias, esse prognatas, tam frequentem per universa lycæa Discipulorum coronam, Magistræ esse gloriam. (b)

(a) *Ildephon. ser. 1. de Assum.*

(b) *S. Ambros. in 2. Thessal. c. 1.*

Illum tamen Universitatis nostræ splendorem â vobis desiderari, non obscurè animadverto, qui in Selecta Bibliothecæ raritate refulget, & quo litterarum studia diligentibus nihil charius est, nihil optatius. Obsecundo animorum vestrorum desiderijs, & Bibliothecam exhibeo selectiorem Vaticanâ Romæ, Marcianâ Venetijs, Regiâ Lutetijs, Constantinianâ in Oriente, Susianâ in Perside, Alexandrinâ Ptolomæi. Illæ unius, & invariatæ compacturæ normam non servârunt; hæc nostra suam variavit nunquam, â quo semel rerum omnium compactor Deus eam ossibus & nervis compegit: (c) illæ tineæ corrosionibus fuerunt obnoxiæ; hæc nostra ab omni sive originali sive personali corruptione immunis est: illæ

(c) *Iob c. 10.*

illæ mendis & maculis ſcatent quàm
plurimis; hæc noſtra *tota pulchra, &*
macula in ea non eſt: (a) illæ multitudi- (a) *Cantic.*
ne librorum celebres ſunt; hæc no- c. 4.
ſtra unum, ſed novum complectitur
librum (b) cujus author *Deus*, cha- (b) *S. Da-*
racter *Verbum*, calamus *Sapientia*: illæ *maſc. orat.* 2.
plerumque conſtant tomis, ſcriptis *de Dorm.*
in membrana, de animalium tergo- *Deip.*
ribus exciſſa; hæc noſtra Virgineæ
carnis membranam exhibet, è com-
muni mortalium maſſa præciſam, &
chartam puriſſimam (c) *in integro folio San-* (c) *Gregor.*
ctimoniæ non ſcripto, (d) in quam cala- *Nicomed.*
mus *Scribæ velociter*, antequam con- *orat. de Ma-*
trahendæ maculæ exponeretur, *Scri-* *ria.*
bentis, (e) unicum inaravit Verbum, (d) *S. Germ.*
tota æternitate non abſolvendum. *Patr. Conſt.*
Pulchram profectò Bibliothecam! *orat. in Nat.*
tantóque admirabiliorem ac præ- *Mariæ.*
ſtantiorem, quanto alijs multitudine (e) *Pſal.*
tomorum eſt inferior. Unum ſiqui- 44.
dem continet librum, ſed reliquos li-
bros univerſos exhaurientem, quia
theſauros Sapientiæ & Scientiæ Dei
complexum, (f) quia divinitate ple- (f) *Ad Rom.*
num; cui concipiendæ ingenium, c. 11.

repræſentandæ intellectus, comprehendendæ memoria, amplectendæ voluntas ſuccumbat, eſt neceſſe.

Agite ergo Sapientiæ Studioſi, & hanc Bibliothecam, hunc librum, amate, legite, æſtimate. Æſtimabilis, ſi quemadmodum Julius Cæſar in fugam undáſque actus, relictis alijs, librum ſibi amantiſſimum per flumen elata manu detulit, & conſervavit; ita & vos inquietum mundi mare tranantes, ubi veneritis *in altitudinem maris*, & tempeſtas demerſerit vos in mortem, majorem curam geſſeritis conſervandi hujus libri, quàm vitæ. Amabitis, ſi eum in veſtro corde, pulcherrima amoris ſede, recluſeritis, prout olim Artaxerxes librum præ cæteris charum in intimum regij palatij cubiculum recondidit. Legetis, ſi vel obiter inſpexeritis, quod *in Capite libri ſcriptum eſt,* (a) ex quo totius operis conijcietis præſtantiam, & conceptuum ſublimitatem; cùm ſit adeo *ſingularium Dei cogitationum* (b) ut poſtquam *homini litterarum perito datus eſt, ab eo lectus non ſit: Neque enim*

Joſeph

(a) *Pſal.* 39.

(b) *S. Greg. Nyſ. apud P. Nic. Avant. Or. de B. V.*

Joseph Mariam cognovit, neque ipsius mysterij potentiam. (a)

Prius tamen, quàm vos lectioni accingatis AA. Humanissimi, nolim benevolentiâ vestrâ privari, quà mihi dicenti hactenus auscultastis. Date proinde, date, obsecro, hoc meo juxta ac vestro in MARIAM affectui; date hoc Magnæ Matri, quæ suarum laudum præcones non magis, quàm ipsos auditores maternis semper fovet visceribus, ut antequam vela orationis contraham, aure prona excipiatis, si quid dicturus sum de privilegijs ac gratijs, quibus gaudet hæc Vniversitas Mariana. Scio quidem, quòd de ijs loqui, magis sit tacere, & velle *Pelagus gratiarum* (b) percurrere, sit ad exiguam scrobis cavitatem undarum cogere amplitudinem: quia tamen etiam ipsa taciturnitas damnabilis videri potest, quando debitum linguæ affectúsque nostri officium turpi negamus verecundiâ, erumpe tandem, erumpe, quà licet ex corde, ex oculis, ex ore filialis in MARIAM amor, & brevi, quod superest,

(a) *S. Damas. orat. de Natvit.*

(b) *Idem ibidem.*



pereſt, temporis ſpacio eloquerꝛ, quam plenitudinem gratiarum poſſideat Dei Mater. Hæret ſpiritus, concidit ſudantis ingenij conatus, deficit memoria, torpet lingua, ſacer horror invadit corpus univerſum. Quid agam hic AA. proniſſimo filialis obſequij niſu effuſus in Parentem? Egóne infelix ille filius, qui dum prolixæ gratæque voluntatis ſpecimen exhibere contendo; priùs opprimor, quàm erigar; prius obmuteſco, quàm loquar; prius in deſperationem redigor, quàm dicere incipiam? Agnoſco, O Magna Mater! amabilis ingenij tui indolem, & inexplicabilem veneror benignitatem. Percellis nimirum me explicandarum magnitudine gratiarum, ut, quoniam earum abyſſum capere non poſſum, ab ipſa me capi ſinam, & inextricabiliter involvi. Promptiſſimis omnino excipio ulnis tam miſericordem affectum, eúmque quâ poſſum reverentiâ ac ſubmiſſione exoſculor: & quia ſic vult Mater, ego, quamvis indignus, vocari filius tuus, libentiſſimè

ſimè me in hoc gratiarum pelagus demergo piè, quemadmodum philoſophorum princeps Ariſtoteles, in maris profundum, *in quo non eſt ſubſtantia*, (a) ſe immerſit inſipienter. Non timeo, ut hîc immerſus moriar, cùm ſic demergi ſit enatare, & hîc interire ſit vivere; nec metuo, ut ſic mutus taceam, cùm Orator materiæ ineffabilitate perculſus ad ſilentium, ipsâ eloquentiâ ſit facundior. Percipient abunde ſatis omnes Sapientiæ Studioſi, non poſſe non glorioſiſſimis gaudere privilegijs illud litterarum Domicilium, cui *fecit magna, qui potens eſt*: (b) proindéque feſtivè acclamabunt: *Multæ filiæ*, (orbis Chriſtiani Academiæ) *congregaverunt divitias*, Maria *ſupergreſſa eſt univerſas*, (c) quando nec jura Græca & Romana, civilia & eccleſiaſtica, publica & privata omnibus illis tot privilegia attribuunt, quot ab ipſo gratiæ Authore ſunt collatæ huic uni, quæ *congregatio eſt omnium gratiarum*. (d)

Jactent Academiæ cæteræ Friderici Barbaroſſæ (e) liberale imperium, quo

(a) *Pſalm.* 68. v. 2.

(b) *Luc. c.* 1.

(c) *Prov. c.* 31. v. 29.

(d) *S. Bonav. in ſpecul. c.* 7.

(e) *Lib.* 4. *Codic, tit.* 13.

quo ſtudioſis omnibus, bonarum artium emporia frequentantibus, quietam ſanxit ſecuritatem; erunt interea Marianæ Univerſitatis alumni tutiſſimi, & ſive arduo itinere anhelantes accurrerint, habebunt comitem, cujus Societas tutelam præſtet, converſatio tædia tollat, præſentia difficultates diſſipet: ſive in termino jam conſtiterint, tranquillæ vitæ potientur ſuavitate, quando ipſeDeus ab itineribus æternitatis veniens (a) requievit in Maria. Proferant alij immunitatem à vectigalibus, ſeu ut vocant *merces improfeſſas*; (b) ſint liberi ab oneribus muneribúſque Civium; congratulabuntur ſibi interim noſtri Academici de libertate filiorum Dei, in quam æterni Regis Regina Mater eos ita aſſeruit, ut nullius oneroſæ ſervitutis ac tributorum legi ſinat ſubjacere, cùm ſint filij Reginæ, quæ ad vectigalia non tenetur. Abundent cæteri regum favoribus, Cæſarum Sanctionibus, Pontificum bullis, quibus ſeveriſſimè cavetur, nè ſtudioſi, delictorum

(a) *Habac.* c. 3.

(b) *Conſtantin. & Martian.*

ctorum rei, ab alijs tribunalibus detineantur, prohibeanturque refugere ad Academici Magistratûs Rectorem; gaudebunt interim nostri, quotiescunque fragilitati succumbentes facinoribus sese contaminaverint, quòd ad Magnificam Rectricem suam, quæ teste S. Richardo (a) *ipsa Magnificentia Dei est*, possint accurrere, & in illas solatij voces erumpere: *Sub tuum præsidium confugimus.* (b) Glorientur alij optione judicum, qui in clementiam faciles, in veniam proni, in supplicia tardi emendant potius pietate, quàm condemnent severitate: mitiorem dabit judicem alumnis suis MARIA, si quos ad Misericordiæ aras conspexerit supplices & gemebundos. Nam si *Deum ultionum Dominum* (c) *qui per scelera cujuscunque provocatus inflammat in circuitu inimicos suos* (d) *velut miles* (verba sunt S. Ildephonsi (e)) *invincibilem vincit, & ut Musicus iratum placat* quibuscunque peccatoribus; quanto mansuetiorem exhibebit suis discipulis, quos singulari affectu & favore

(a) *Rich. à S. Laur. lib. 4.*

(b) *Brev. Rom. & S. Bern.*

(c) *Ps. 93.*

(d) *Psalm. 96. v. 3.*

(e) *Ser. de Assump.*

complectitur, quosque ipse, qui hanc
(a) Ps. 86. Universitatem fundavit *Altissimus* (a)
gratijs suis ideo voluit exornare, ut
nobilissimum juventutis florem ex
omni populo, & natione ad eam proliceret, unde postea cultissimos dimitteret ad sacras exedras oratores, ad gymnasia Magistros, ad populum patres, ad curias consules, ad aulas ministros, ad tribunalia maxima patronos afflictorum.

Agite ergo Adolescentes optimi, quorum pectora litterarum amor, honoris decus, patriæ splendor, emolumenti cupiditas pridem occupavit; hanc Marianam Universitatem divinæ mentis consilio ab æterno ordinatam, ab ipso Altissimo fundatam, â Sapientia ædificatam & adornatam animis subite alacres. Excutite inibi ingeniorum vestrorum tenebras, & pulcherrimis doctrinarum luminibus illustrate. Excolite indolem, aptate solertissimam naturam, quam ad litteras sortiti estis idoneam, quæque spem frugis promittit amplissimam. Cogitate labores

res veſtros, quos coronari aliquando cupitis, non alibi melius, aut glorioſius poſſe collocari, quàm ſub diſciplina Mariæ; ſub cujus præſidio, prô Deum Immortalem! quot quantíque, jam per tot ſæcula, infenſiſſimum Sapientiæ hoſtem, Ignorantiam, expugnârunt. Inde inde prodibitis ex Philoſophiæ ſpinis acuti, ex Pharmaceutica morborum Medici, ex odæis juris prudentiæ Advocati, ex Auguſto divinarum quæſtionum Sacrario Theologi, ex Eloquentiæ viridario Rhetores, ex caſtis Muſarum delubris Poëtæ, ex omnium denique Scientiarum antiquiſſima, ampliſſima & celeberrima Univerſitate tales Doctores, quales hactenus obſtupuit orbis, & ſera poſteritas admirabitur omnis litteraturæ miracula, ac rerumpub. ornamenta. Non enim poſſunt non efformari viri doctiſſimi, quibus ſe totam impendet *Scientia ſcientiarum* MARIA. (a) Quam ut ego quoque docentem audiam, (amant ſiquidem ſilentium ſtudia Sapientiæ) libenter obmuteſco.

(a) *S. Bern. ſuper Salve.*

PRÆ-

PRÆCONIUM.

GRammatica, nisi reliquis scientijs fundamenta fideliter jecerit, quidquid superstruxeris, corruet. Quintil: Instit. orat. l. 1. c. 5.

ORATIO II.

MARIA, rectè loquendi atque scribendi rationibus imbuta; ideóque

Magistra Grammaticæ.

VT quis præcelsam scientiarum sublimitatem, ipsúmque fastigium, quo Universitas hæc reliquis præeminet, eloquentiâ suâ humilis attingat orator, necesse habet ab infimis Grammaticæ classibus

bus exordiri. Non scanduntur suspiciendæ Ægypti pyramides, vel excelsæ Ptolomæi turres, nisi prius ima teneantur. Non dantur Rhodiorum colossi sine bassibus, sine profunda radice altissimæ solidæque arbores, fastigia sine fundamentis. Grammatica tradendarum scientiarum basis est, AA. sine qua posteritati difficulter fuissent consignatæ, & transcriptæ, si non sub exilibus mundi incunabulis, unâ cum Proto-parente nostro nata, per Moysem in judæos, per hos in Phænices, Athenienses, & Thebanos (a) propagata, toto, quâ patet, orbe invaluisset, suique antiquitate & necessitudine æstimationem conciliâsset. Illa litteras commenta, syllabas architectata, voces enixa, suppeditavit loquendi formas, præscripsit differendi rationem, præcepta demonstravit. *Nè quis igitur* (verba sunt doctissimi Quintiliani (b)) *Grammatices elementa, tanquam parva, fastidiat; quia interiora velut sacra hujus adeuntibus apparebit multa rerum sublimitas, quæ non modò acuere ingenia, sed exercere*

(a) *Euséb. l. 9. de præp. c. 4. & Tacit. in annal.*

(b) *Lib. 1. instit.*

exercere quoque altissimam eruditionem & scientiam possit. Nequis etiam immaturè existimet, me ex humili (quamvis eodem Quintiliano teste (a) *nihil in studijs parvum sit*) ex humili, inquam, & vili materia (quid enim inter tumidos Sapientes Grammaticis contemptibilius ?) Marianarum laudum præconium concinnare, quæ altissimarum rerum est argumentum, & *negotium omnium sæculorum.* (b) E minimis quandoque laus maxima nascitur: atque ex deciduis è lautissima aliorum mensa reficimur subinde micis; súntq; tanto gratiores, quanto avidius colliguntur. Et si ex sensu Magni Præsulis Augustini non minor laus redundat in Creatorem Deum ex parvitate muscæ volantis, quàm ex magnitudine jumenti gradientis, quis neget in Dei Matrem ingentem quoque laudum materiem posse congeri ex humili litterarum notitia; cùm præsertim ex ea scientiarum omnium emergat altitudo? Date proinde mihi benevolas aures AA. Humanissimi, & ego vobis dabo MARIAM

(a) *Lib.* 10. *instit. c.* 3.

(b) *S. Bern. serm. in Pent.*

MARIAM Grammaticis præceptis instructissimam.

Nolo tamen ad comprobandam causam meam ex eo sumere argumentum, quòd sciam vernam tenellæ Virginis ætatem ac capacissimam disciplinarum omnium indolem inter privatos Parentum Sanctissimorum parietes non ita delituisse, ut tempus omne, quod â ferventissimis precibus supererat, exercendæ solùm lanæ, contexendis telis, pingendis acu Sacrorum vestibus studiosè impenderit; & non etiam litteris hebræis, Syriacis, græcis tam noscendis, quàm efformandis industriam posuerit singularem. Non pono causæ fiduciam, quòd turpe videatur, Genitores optimos tantæ seu incuriæ seu desidiæ arguere, ut quis impudenter dicat, vel imprudenter cogitet, illam Dilectam Filiam, illas parentum delicias, Davidicæ stirpis gloriam, floridæ juventutis principem, generis humani florem, & omnium virginum exemplar, quod ardentissima pietas, impensis votis,

cœlo

cœlo extorserat, fuisse ab ijs destitutam, nec imbutam litteris, ad copiosam rerum sacrarum eruditionem perquam necessarijs; siquidem mihi constat ex Authorum triade Epiphanio (a) Anselmo (b) & Cedreno (c) *MARIAM cùm adhuc pater viveret, hebraicas litteras didicisse.* Illud illud ad imortalem divinæ Bonitatis gloriam assero, tenerrimam Virginem ab ipso Supremo Numine ita fuisse edoctam, Grammaticísque præceptis instructam, ut nullius pene creaturæ adminiculo, nullius magistri prælectione necessariò indigeret. Testor ego te, O pulcherrima Divinæ mentis filia, animarum regina, virtutum vita, castigatrix morum, moderatrix affectuum, honestatis splendor, ipsius etiam, si ita loqui liceat, Supremi Numinis magistra Decentia: dic age, decuitne, ut quæ æternæ Sapientiæ Mater, & Magistra magistrorum futura erat, illis cognitionibus exornaretur, quæ sub scientiæ rationem cadere possent, & sublimiorum facultatum essent fundamenta? Decuit.

(a) *S. Epiph. orat. de laud. B. V.*
(b) *S. Ansel. in fine Operum.*
(c) *Cedren. in compen.*

De-

Decuitne, ut gloriaretur præter Deum alius de tenero illo magisterio puellæ Virginis, *quam*, teste Laurentio Justniano, *adhuc in matris utero decumbentem adamavit Verbum, sibique in Genitricem elegit, utpote superabundanti benedictione præventam, jamq; S. Spiritus magisterio deputatam?* (a) Non decuit. Decuitne, ut prudentissima hæc Virgo, relicto fonte, biberet rivulos, neglecto corpore sequeretur umbram, infundente se Sapientiæ sole lucem mutuaret â stellis, docente Doctorum, Prophetarúmque Magistro, audiret didascalos? Non decuit, AA. non decuit; & vel ideo non voluit, solenne illud, ac toties decantatum in protestationem opponens: *Osculetur me osculo oris sui*, (b) non alieno. *Non audio* (inquit apud S Bernardum (c)) *Mosen; impeditioris siquidem linguæ mihi factus est; Isaiæ labia immunda sunt; Jeremias nescit loqui, quia puer est, & Prophetæ omnes elingues sunt: ipse*, ipse Magister Doctorum omnium, ipse me *osculetur osculo oris sui*, ut, qui est Alpha & Omega, mihi in osculo

(a) *S. Laur. Iust. ser. de Nat. B. V.*

(b) *Cantic. c.*

(c) *S. Bern. in Cantic.*

communicetur; qui Nomen habet ſuper omne nomen, me dirigat illùd cum adjectivo laudis conſtruere; qui â Patre, pulcherrima generatione gignitur, ideóque *Verbum derivativum* dici poteſt, in me derivetur in tempore; qui ſecunda tantùm in Deitate adoratur Perſona, me doceat *impersonale;* qui ſolus *eſt* per excellentiam, ideóque verbum ſubſtantivum, mihi ſeſe uniendo, ad meam eruditionem, exigat aliquando genitivum â genitura Deum & Hominem; qui lingua eſt, ſcientiam habens vocis, linguam meam inſtruat proprietate vocum, & pulchritudine Sermonis.

Pulchro ſanè deſiderio ipſius divini oris gratiam efflagitavit MARIA, quod *de ea* (verba ſunt Guarici Abbatis) *ſibi formaturus erat conditus & Conditor!* (a) Si enim â natura ita inſtituti ſumus, ut artium & ſcientiarum eos ſequamur Magiſtros, quos novimus omnibus numeris eſſe perfectiſſimos, ſi pictores feruntur in Appellem, aut Rubenium, Statuarij in Liſippum aut Polycletum, milites in Hecto-

(a) *Serm. 2. de Aſſum. B. V.*

Hectorem, Poëtæ in Maronem, Philosophi in Stagyriten, quia artis excellentia eos ſingulariter commendavit; cur non conſurgat in vota Maria, exæſtuet in deſideria, erumpat in concupiſcentiam illius Magiſtri Grammaticæ, quem ſcivit eſſe Magiſtrorum præſtantiſſimum, quiq; nôſſet gravioribus diſciplinis tenera ingenia præparare, ſermonis mira dexteritate guſtum excitare, decentiſſimæ elegantiæ ſaporem inſpergere, & denique ſuaviſſima amabilitate parvulos ſuos, per litterarum rudimenta ad ipſa Sapientiæ limina feliciſſimè manu ducere? Et quis dubitet non tantùm ore tenus, & in prima labra; ſed in ipſum etiam tam amabile, támque avidum diſciplinarum pectus intrâſſe Sapientiam, ut ibi inſtar auroræ, ſcientiarum ſolem præambulantis, per elementares litteras exoreretur, & adfuturum aliquando pleniſſimum Sapientiæ meridiem nuntiaret? Enim verò crediſne cum Sacrorum Interpretum agmine, quòd Salomon *tenellus coram*

 patre,

patre, unigenitus coram matre sua Sapientiam ardens, (a) calidóque concupiscentiæ affectu illius nuptias ambiens voto frustratus non sit; sed primis statim Grammaticæ regulis, rectèq; loquendi & scribendi præceptis â Deo fuerit ita institutus, (b) ut magnificâ lætantis animi voce gloriari audeat: *In manu illius nos, & omnes sermones nostri, quoniam ipse Sapientiæ Dux est, & Sapientium emendator?* (c) Creditisne hominem primum, primúmque disciplinarum omnium doctorem, deliciosissimi paradisi incolam, ipsam divinis elaboratam manibus Dei imaginem, perfectissimum tam corpore, quàm animo virum, ideóque Sapientissimum (d) protoparentem nostrum ex largissimo divinæ Sapientiæ fonte, ultro se se infundente, prima Grammaticæ elementa hausisse, non diurno conatu comparâsse? Creditísne, Præcursorem Verbi, Evangelistarum principem, & Prophetarum clausulam Joannem, nullo â teneris instructum magisterio, sed loquendi, legendi, scribendi, & prædicandi gratiam

(a) *Prov. c. 4. v. 3 & c. 7. v. 4.*

(b) *Pineda de rebus Salom. l. 3. c. 11.*

(c) *Sap. 7. v. 16.*

(d) *Pererius in Genes. l. 5.*

gratiam ab ipſo Spiritu Sancto vel accepiſſe, vel in eam non tantum nomine, ſed etiam virtute ita tranſijſſe, ut puer adhuc, & infans Grammaticus, parentem ſuum loqui docuerit; nec ſine prodigio illam ſermonis gratiam linguæ calamóque inſperſerit: *Joannes eſt nomine ejus?* (a) Creditis? Bene habet: peroravi. Nemo ſiquidem ſine ingenti trepidatione animi, aut inſigni vacillantis judicij nota dicet, vel cogitabit, ipſius immenſi Numinis futuram Matrem, quâ ſub cœlo nihil ſublimius ad præſtantiam, nihil dignius ad meritum, nihil ſplendidius ad decorem, nihil grandius ad ſtuporem inveniebatur, idem divinæ gratiæ ornamentum non accepiſſe. Imò firmiſſimè mihi perſuadeo, omnes omninò in eam affectûs teneritudinem abripiendos, ut illam mecum ore facundo celebrent unicam â Deo electam, atque ab æterno ordinatam Diſcipulam, quæ ſicut omnigenam, & excellentiſſimam primæ litteraturæ notitiam mente bibula ex ipſo di-

(a) *Luc. c. 1.*

vinæ Sapientiæ fonte hausit, ita præclarissima ejusdem edidisse specimina, tum in vocum notionibus explanandis, tum in ethymologijs â fontibus suis arcessendis, tum in obscuris atque ambiguis sensibus mirâ ingenij dexteritate illustrandis, tum denique in articulis, membris, totiúsque orationis partibus ornatè componendis; cùm linguam Hebraicam, Syriacam, & Græcam calluerit abundanter, (a) & Apostolorum, orbísque universi futura Magistra necesse habuerit non tantùm omni scientiâ informari, verùm etiam ejusdem magisterium nonnunquam exhibere. O quàm pulchrum dedit Grammaticæ scientiæ experimentum, quando Alpha & Omega, primum & novissimum litterarum apicem, utrumque naturâ suâ vocalem, interjecto, de nomine suo, consonante M. in dulcissimum verbum AMO fecit consonare Maria; illúdque à primo rationis usu continuò eructavit, tanquam verbum bonum; atque per omnia vitæ tempora flexit, studijsque

(a) Christoph. de Vegas in Theol. Mariana.

dijsque suis ita conjugavit, ut opera omnia, in hac Universitate Mariana elaborata, Regi Sæculorum integerrimè dicarentur! O quàm aptè *Substantivo* Nomini copulavit *adjectivum*, quando in laudes Supremi Numinis effusa, exultante, præ gaudio, spiritu, exclamavit: *Et Sanctum nomen ejus!* O quàm elegantem fecit constructionem, dum Deum & Hominem, per proto-parentem, primum orbis exerrantem Grammaticum, malè disjunctos, in unum Christum pulchrâ conjunctione conjunxit! O quàm nitidum formavit characterem (Grammatici est, teste Cornelio Nepote, non tantùm scienter dicere, sed etiam scribere) quando in Virginea sui corporis membrana, pulcherrimo sanguinis liquore incircumscriptum inscripsit Verbum; Verbum mirabile! quia & tempora & casus regit omnes: Verbum infans! Sed quo tamen omnia dicuntur: Verbum ad mortalium legibile gustum! quia *Caro factum.* O quàm sedulè, quàm fructuosè, quas scivit litteras,

repuerascentem mundum docuit; quando in Bethlehemitico ſtabulo ſcholam aperiens, atque ab Alpha lectionem ſuam incipiens, tot indicibus illud oſtendit, quot fæni ſtipulas ſuppoſuit!

I nunc glorioſiſſime *Salomon, quo non Sapientior alter extiterat*, (a) & primis Grammaticæ rudimentis â Deo te inſtitutum prædica, quoniam *omnis tua Sapientia à Domino eſt*; (b) non cedet tamen tibi, neque mortalium ulli MARIA, quæ teſte S. Epiphanio, *ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exſtitit*. (c) I quoque virorum Sapientiſſime Adam, & gloriare, quòd cum rerum omnium humanarum divinarúmque ſcientia tibi fuerit infuſa, Grammaticæ peritiam, ipſius ſcilicet ſcientiæ fundamentum, acceperis ſolidiſſimum: gloriabitur præ omnibus Dei Mater, ut quæ & ipſam Sapientiam æternam portavit, & cui Spiritus Sanctus virtúſque Altiſſimi pulcherrima divinitatis mole ſuperincubuit. Ite & vos Catones, & orbilij Priſciani & Ennij, Pacuvij & Flacci (inania ſatis

(a) *Nazian: de Virginitate.*

(b) *Prov. c. 2.*


(c) *S. Epiph. orat. de laud. B. V.*

ſatis Grammaticorum nomina) & ſuperfluis quæſtiunculis fatigate puerorum ingenia; diſcruciate non tam vos, quàm voluminum Scriptores veſtris litterarum notationibus & notulis, ſcrupuloſis ſignificationum argutijs, obſcuris nominum ac verborum derivationibus: noſtra interim Magiſtra Grammaticæ diſcipulorum ſuorum animos ſolido fundamento ac fundo inſtruet, mentéſque ad graviſſima diſciplinarum ſtudia properantes, non illitteratis nugis diſtinebit; ſed veris æternæ Sapientiæ radijs diriget & deducet. Diſputate cum Palæmone, toties in balneis loto, quid ſtillam inter & guttam diſcrepet; oſtendet MARIA, inter Roris ſtillam, quam cœli deſuper irrorârunt, & guttam, quâ terra olim maledicta denuo germinavit in Salutem, diſcrepantiæ eſſe nihil. Contendite cum alijs non ineruditis Grammaticis apud Carras, nobilem urbem, argutantibus, in quonam genere nominum collocanda videatur Luna? num ſignificatione, ſe-

ſus declinari in quamcunque mortem, quàm amores tuos malè declinare. Perge porro, perge lacteum Sapientiæ tuæ rorem illis inſtillare teneris in annis, ut albæ gallinæ, hoc eſt, Candidiſſimæ atque Amabilis Matris filij candidis auſpicijs ad maturitatem perveniant, & in dilectione tui majoribus ſemper roborentur incrementis. Quod quia fieri amant, affectuúmque ſuorum aliquod teſtimonium viciſſim formare; tenerè adoleſcentibus ſuis cordibus jam jam Grammaticè inſcribunt: MARIA, ut vel ſic cum ijs in perfectam creſcas ætatem, ſempérque in illis legaris, quemadmodum inſcripti plantulis characteres in adultis etiam arboribus leguntur.



PRÆ-



PRÆCONIUM.

POësis, Supremi Numinis aspiratione concepta, ex arcano ejusdem pectoris sinu in hanc pulcherrimam lucem delapsa; Sapientissimorum infusa gremio Philosophorum, habitu verecundo, facie virginali, Sacrorum interpres, custos Religionis, Nuntia Divinitatis. Ex Platone in Jone. Cicerone pro Arch. Poë: Cælio in antiq: lect: l. 4. c. 1. & S. Aug. l. 2. de civ: Dei & l. 1. Conf. P. Vincent: Guinisius.

ORA-

ORATIO III.

MARIA, pangendorum, in laudem Dei carminum gnara, ideóque Magistra Poëseos & Musices.

POësim & Musicam, si temporum modernorum opiniones & sensa inspiciam, duas esse res; si monumenta Veterum, & peritorum in artibus animorum judicia (a) consulam, eandem olim fuisse, publicâ, eáque non temerariâ sententiâ palàm enuntiabo, AA. Humanissimi. Altera enim ita fuit in altera, ut teste divino apud suos Platone, (b) istam sine verborum gratia, & carminis venustate auribus infundere ausi non sint; illam sine modulamine produxerint nunquam: istam vocis altitudine & longitudine dimensi sint; illam per Syllabarum tum brevium, tum longarum, tum mediocrium juncturam vocali moderatione extulerint: istam coluerint ut cordium reginam, quæ tristibus jucun-

(a) *Apud Athan. Kircher. Musur: lib. 2. §. 2. & l. 7. §. 2.*

(b) *Plato Dial. 7. de legibus.*

cunditatem, furentibus blanditiem, ignavis animos, vigilantibus quietem, per dulcissimas harmoniæ voluptates conciliat; illam suspexerint ut animorum dominam, quæ in ijs emolliendis vehementior, in excitandis fortior, in percellendis potentior semper extitit, quòd eâ nil sonaret dulciùs, nil subtiliùs penetraret.

Tolle â veteri canendi facultate poëticæ locutionis suavitatem, verbortúmque nitorem; remove â Poësi compositionis numerum; & quid aliud erunt, quàm corpora sine vigore, arbores sine ramis, rami sive folijs, cortices sine nucleis, nuclei sine Saporibus, sapores sine dulcedine? Maneat vicissim ars altera in altera; serventur artificiosi illius numeri, & hujus modi; sumatur versus ad citharam, cithara animetur â versibus; & quàm suaviter, quàm blandè per aures in animos illabentur, quàm dulciter intimas medullas permeabunt; quos non affectus molientur, & excitabunt? Vivit nimirum ista

in

in illa, & mutuæ vegetationis titulo dicere potest quælibet: *altera ego*. Quæ res non mediocriter animum meum recreat, dum in amplissima Marianarum laudum ubertate versans, vivensque ad delicias, Poësim cum Musica ita conjungo, ut unico seu Poëtæ seu Musicæ encomio honorare velim MARIAM, quando Recentiorum quorundam judicio, duplicis orationis conatu, bináque honoris ac excellentiæ compellatione eam possem celebrare. Putant enim isti, opinione quidem non improbabili, tantum abesse, ut ars Musica sit eadem cum Poësi, ut potius natura ipsa illas quàm longissimè disgregaverit, dum omnes omnino modulorum charites, omnésque dulcitudinis gratias canoris saltem reliquerit instrumentis, quas aliàs carminibus, aut concinnis verborum textibus indidit, & counivit. Verùm quia mihi negotium non est de mellita instrumentorum harmonia, neque de nova illa Musica, quæ fractis minutim sonis, fictisque ad numeros
tonis

tonis coacta se se jam voce explicat, jam modulatione variat, jam suspirijs suspendit, jam fugis persequitur, jam minuritione palpitat; sed de ea, quæ veteri gravitate plenissima minutas, levesque concentuum argutias respuit, adeóque gravem minimeque tremulum, aut titubantem metitur gradum, quam â Poësi discernere non voluit litterarum parens Homerus; (a) nec etiamnum sejungit illa Germaniæ gloria, & capacissimum scientiarum pectus, Athanasius Kircherus: (b) ideo hanc solùm in Augustissima Dei-Parente prædicabo, eamque dicam, hac arte, seu Musicam voces, seu Poësim, præclarè fuisse imbutam, & Magistram magistrorum. Quod dum unius orationis contentione facere aggredior, cogitate AA. Humanissimi, me duplici facundiæ flumine non delectari, si veterum desit authoritas. Quæ suis coloribus spectantium oculis ita subijciuntur, ut idem appareant, & dici possint, quid opus est, facundioris eloquentiæ advocare penicillum,

(a) *In Clytemnestra Cust:*

(b) *In sua Musurgia.*

qui eosdem colores ita disgreget, ut quod ante cum veritate simplex fuerat, nunc videatur esse duplex, fucati sermonis beneficio, dicam, an maleficio?

Quanquam temerarius, imò improbus videri possem, quòd in Marianæ commendationis materiam trahere adnitar illud, quod, infamiæ calculo non levi notatum, à multis ridetur, & exploditur. Quid enim Poësis aliud est, inquiunt non pauci, quàm jocus, modestis gravibúsque ingenijs indignus? Quid aliud sunt carmina, quàm lascivientium parerga, turpitudinum lenocinia, inverecundiæ fomenta, morum tineæ, mentium illudia, humanæ rationis hostes & eversores? Quid aliud ex sensu veterum sunt Poëtæ, quàm proditores, qui infimas hominis partes, seu affectos turbatósque sensus unicè palpant, & contra reginam pectorum, illam divinitatis pretiosam particulam, rationem, concitant & perturbant? Sed plectar, si improbus sum in MARIAM: obmutescam

si

si fauce maledica compello Dei Matrem, cujus dignitas, atque adeo encomium *excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.* (a) Fateor equidem, iterúmque repeto, Augustissimam Virginem calluisse, perfectissimos versuum concinnandorum modos, proindéque Poësi fuisse instructissimam; non tamen adeo projectæ sum impudentiæ, ut illam intelligam, quæ omnem prorsus pudorem exuit; & animis mollitiem, moribus perniciem, affectibus inverecundiam, voluminibus mendacia inspersit, castissimúmque disciplinarum regnum obscænis maculis conata est deturpare. Illam illam suspicio, profundéque veneror in Maria, quæ Platonis (b) sententiâ divina audijt, non humana; quæ Plutarchi calculo *morum ac vitarum ab omni reprehensione immunium imitatio est;* quæ gratias suas ita semper impendit, ut auribus illecebram, animis vigorem, moribus modestiam, cordibus pietatem, Numini laudes conciliaverit; quámque Isacidæ præeunte ac præ-

(a) *S. Anselm. de excell. Virg. c. 2.*

(b) *Plato in Fedro.*

 cinente

cinente præstantissimo Duce suo Moyse jam multis ante sæculis gloriosè professi sunt, dum post eductum per divisum pelagus populum, post involutum funestissimis aquarum procellis Pharaonis exercitum, coactis in orbem pueris puellisque, non tantùm misericordias Domini, ob insignem victoriam; verùm etiam justitias, ob haustam aquis impietatem, carmine Eucharistico decantârunt. Hac enim poësi æterni filiam Principis eminuisse, non ego solùm imbecilli meâ eloquentiâ, sed facundissimi pridem encomiastæ, plenis oribus celebrârunt, quando carmen illud, gravitate heroicum, acumine plenum, suavitate varium, perspicuitate dilucidum, sententiarum pondere augustum, quo exultans MARIÆ anima totis viribus Dominum magnificat, accuratiùs perpenderunt. Audiamus, si lubet, clarissimum Ecclesiæ Sanctæ jubar, Augustinum, qui dulcedine Marianæ Poëseos abreptus, ut plures secum ad eam degustandam pelliceret:

Audite,

Audite, exclamat, (a) *quomodo Tympanistria nostra cantaverit; ait enim Magnificat anima mea Dominum.* Audiamus tanti Patris voci consonantem filium, Sanctissimum juxta ac Religiosissimum Valentiæ Patriarcham Thomam de Villanova: *Ipsam,* inquit, *Virginem canentem audiamus: Magnificat anima mea Dominum. Quàm venustè* (pergit) *quàm pulchrè, quàm piè, quàm humiliter impensas sibi laudes in bonorum omnium largitorem Deum detorquet repleta gaudio, fervore spiritûs inflammata.* (b) Audiamus Bedam, venerabilis Virum eloquij, & non vulgaris in MARIAM pietatis; audiamus mellifluum Bernardum, Albertum Magnum, Joannem Gersonem, aliósque Patres disertissimos, qui Canticum hoc vocant *Novi testamenti hymnum,* (c) *Psalterium decachordum,* (d) *Marianam cytharam, perfectissimè temperatam.* (e) Audiamus tandem Præsulum decus Rutilium Benzonium, (f) qui, ut clarissimè in nostram sententiam abeat, disertis verbis asserit; Marianam hanc Oden ea metri varietate fuisse compositam, *quâ omnium*

(a) *Serm. 10. de Sanctis.*

(b) *In conc: de Visit: B. V.*

(c) *Apud P. Canisium.*

(d) *Tract. 2. in Magnificat.*

(e) *Apud Christoph: Veg: in Theol. Mar.*

(f) *l. 1. super Magni. c. 8.*

um carminum divinorum quasi Anacephaleosim continere videatur. Ut meritò etiam Religiosissimus Ephrem eam appellet *optimorum Magistram Poetarum*.

I proinde meticulosè Zoile; subverere, nè quid indignum Dei Matre dicatur, quando tot Sanctissimi Oratores consensu unanimi, sine pavore etiam modesto, Patronam suam versuum faciendorum peritissimam edixerunt. Assentior tibi libenter, præstare silentium, dum periculum est, nè Marianam magnitudinem eâdem dictione minuas, quâ eam vis extollere: sed meminisse tamen etiam oportet, pleno eloquentiæ flumine velificandum esse, ubi Advocatæ advocati jus dicere, & nè in titulorum plenitudine injuriam patiatur Domina, tanquam Servi prohibere obligamur. Quis negavit unquam, inter perfectiones & excellentias, creaturis â Deo communicari solitas, collocandam esse illam artem, de qua haustáne sit è divinæ an humanæ industriæ fontibus, non frustra dubitârunt complures; cùm Poëtæ dicantur

cantur nasci, reliquarum verò scientiarum Magistri laboris industriâ possint efformari? Nunquid Regum Sapientissimus divinæ tribuit largitati illam loquendi perfectionem, quâ posset *dicere ex sententia, & præsumere digna horum, quæ ei fuerant data?* (a) Quis autem nescit excellentias omnes, quas in creaturarum animas, velut in rivulos dispersit Deus, tanquam in mare contraxisse in Maria, quando ex Arnoldi Carnotensis affectuosissima fide, *quidquid Creator singulis, distributor justus, contulit, Matri adornandæ congessit?* b) Fuerint admirationi Moyses, David, Salomon, Jeremias, & alij ex hebræa gente viri celebres, quòd ligati sermonis elegantiâ præditi, ut Deum ter Optimum colerent honestiùs, adorarent suaviùs, certos excogitârint numeros, verborúmque harmoniam, qua immensas ejus laudes, operúmque amplitudinem divulgarent: Miraculum certè illius Poëseos dici debet MARIA, quæ longè suavioribus modulis Numini est blandita. Ada-

(a) *Sap. 7. v. 15.*

(b) *Apud Laur: Chrysog: Mundi Mar: p. 1.*

maverint Ennium Scipio, Lucullum Marius, Virgilium Augustus, Horatium Mecænas, Papinium Domitianus, Tibullum Messalla, Ausonium Gratianus, quòd suis versuum artificiis placuerint, quamvis Poësim, honestissimam illam & innocentissimam Virginem prostituerint: adamari debuit supra omnes sui temporis poëtas Maria, quæ Virginem illam cœlo delapsam, & ipsa numinis adspiratione conceptam, verecundo in habitu conservavit integram, facie virginali modestam, pietatis antistitem, Divinitatis celebrandæ Magistram præstantissimam. Suspexerit antiquitas, non sinè veneratione, veteres cantatrices; prædicaverit Sybillarum, aut aliarum mulierum nomina, quòd in pangendis componendisque carminibus artem exhibuerint singularem; Super omnes tamen efferri debet Magistra nostra, quia *quidquid Creator singulis distributor justus contulit, Matri adornandæ congessit.*

Præterea si persuasione superbâ gloriari audent Poëtæ, apud eos esse

Jovis

Jovis omnia plena; nunquid gaudebit cum veritate Maria, quòd antequam plenum Deo haberet uterum, eundem in speciosa virtutum varietate complexa sit amplissimo pectore? Si jactant illi sedibus æthereis Spiritum illum venire, quo in Musarum choreis aguntur; nunquid in cœlum, imò Deum usque exultavit Maria, quod Spiritus Sanctus in eam venerit, & Virtus Altissimi ita obumbrârit, ut nil nisi Sanctum, adeóque perfectum ex utero, ex corde, ex ore, nasceretur?

Et verò feliciter genuisse, seu potius eructâsse de castissimo & amoris plenissimo corde *Verbum bonum* quis nescit? Verbum! aptissimum omnino, quod in suavem cogeretur versum, quia ad eam semper fuit *conversio ejus.* (a) Verbum! ex quo pulcherrimum concinnavit poëma (homo Græcis poëma est à Deo descriptum) quando Deum carne virginea vestiendo, Hominem efformavit. Verbum! quod æternitate longissimum, ipsa, versibus viarum intenta, non-

(a) *Cantic. c. 7.*

nisi semel piâ maternáque licentiâ corripuit; *Fili, quid fecisti nobis sic?* (a) sine qua authoritate crudeliùs nimiò corripiendus erat ab olim dicturo: *corripiam illum.* (b) Verbum, in quo unicam; sed quæ pulcherrimas quasque superaret, fecit cæsuram, quando illud sanguinariæ Circumcisionis legi, octavo â Nativitate die, subjecit; paritérque ostendit, quàm ei ex hoc Verbo faciles manarent versus, cùm nonnisi unicam admiserit lituram. Neque dubium est, eosdem optimè fuisse illigatos pedibus, ut quæ tam pulchrè noverat pedes Incarnati Verbi fascijs illigare. Cecidisse quoque ad exactum numerum, conijci potest, quòd Verbum, in quo cætera omnia comprehēdebat, ad numeros subinde induxerit, quando illo proficiente & crescente, numerabat annos ætatis: *Cum factus esset annorum duodecim.* (c) Firmissimà præterea inducor persuasione, ut credam, nobilissima, atque ad animorum oblectionem aptissima Sacræ Poëseos finxisse commenta, quæ

(a) Luc. c. 2.
(b) Luc. c. 23.
(c) Luc. c. 2.

quæ ſe digniſſimam Dei Matrem tam ſedulò, tam conſtanter, tam nitidè ſemper effinxit; nihilque omiſit unquam in vita, ab æquiore mente reprehenſibile, cùm non ignoraret, quod paradoxè protulit Tullius: *Vita noſtra carmen eſt; cui ſi vel Syllaba deeſt, exſibilaris.* Quod ſi tamen hæc alijs videantur ingenij luſus, non ſolida, ut fateor, rationum libramenta; cogitent, obſecro, mihi negotium eſſe cum Magiſtra Poëtarum, quibus volupe eſt, rebus ſerijs ſimiles quandoque, imò longè meliores, inſpergere argutias, & verborum lenocinijs erectas aures animóſque adfricare. Sed meminerint etiam, ſatis abundéque probatum eſſe, ad Marianorum titulorum plenitudinem ſpectare, ut verè dicatur Magiſtra Poëſeos, quæ talem ſe probavit, dum Canticum ſuum rarâ metri elegantiâ pepigit; talem eſſe decuit, quia fuit fœminarum nobiliſſima, creaturarum perfectiſſima, Scripturarum peritiſſima, Spiritus Sancti Sponſa, Verbi Mater, Patris Filia; talem denique Deus
eſſe

esse voluit, ut ex obscuro tãdem protraheretur veritas, clarissimâ sui luce proscriptura umbras universas. Umbra fuit ornatissima divinæ beneficentiæ modulatrix Soror Moysis; sed approno demissa vultu hunc titulum ultro exuit, quando audita est MARIA cantare Domino *canticum novum.* (a) Umbra fuit fortissima sui temporis Jahel, quæ post trajecta Sisaræ tempora de hostibus victrix, concinna metri suavitate, potentiam Numinis prædicavit; sed facta est pedissequa, omnémque honorem cessit mundi Dominæ, quando augustiore carminis cothurno per excelsos Judææ montes incedebat. Umbra fuit magni Samuelis genitrix, quæ sublatæ sterilitatis beneficium eleganti, & ad numerum bellè cadente hymno celebravit; sed disparuit, recessitque hæc umbra, quàm primum comparuit MARIA, & triumphale carmen suum intonans ostendit adesse corpus veritatis. Umbra denique fuit patriæ libertatis vindex Judith, quæ famæ immortalitatem non tam

(a) *Salmeron de Cant. B.V.*

tam ex eo retulit, quòd truncato Holofernis capite Bethuliam obsidione solverit; quàm quòd adeo insignem victoriam metri artificio ad divini, non sui Nominis commendationem consignaverit; sed occuluit se se, conticuitque gloriosissima hæc hostium triumphatrix, veterisque Poëseos gloriam adscribi voluit Dei Matri, ut quæ non minùs hujus, quàm cæterarum creatarum perfectionum excellentiam compendiariâ quadam virtute in se contraxerat. Sed quid verba fundimus? nunquid ipsam Virginem audire licet, quàm variâ vocum dulcedine carmen suum animet, quámque sonoro miraculo Musas superet universas? Licet. Audiamus proinde, aut si malumus, in spiritu auscultemus Amici & Sodales ejus, quia tunc modulatur suavissimè, quando amici auscultant, & ferventissimis subinde suspirijs, tremulisque colliquescentium animorum vocibus rogant singuli: *Fac me audire vocem tuam.* (a) O vocem cœlo terráque admirandam! Ecce ex *Basso* hu-

(a) *Cantic. c. 8.*

humilitatis incipit Virgo tenera, & profunda demiſſione ancillam ſe ingeminat, quæ antequam infans eſſet, jam erat regina, & Regum ac Reginarum Imperatrix: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Perge, perge, O MARIA! Sonet vox tua in auribus meis, quia vulnera triſtitiæ ſanat, mœrorem abſtergit, defeſſam mentem erigit, infirmitatem roborat, animam ipſam per extrema labra jam jam fugientem retinet, & quaſi ad perennis vitæ fontem conſtituit lætabundam. Pergit MARIA, & ex *Baſſo* in *Altum* aſcendit, quando exultantem Spiritum, veluti quibuſdam pennis ſubnixum, librat in *Altiſſimum*, eúmque inter mortales extollit, quòd in ea exornanda ipſam ſuàm potentiam impenderit: *Fecit mihi magna, qui potens eſt, & Sanctum nomen ejus.* In *Tenorem* demum ſuaviſſimè devolvitur, eúmque licet durum, inter humanæ vitæ ærumnas ſervat conſtantiſſimè, dum de Miſericordia Dei vitam ſuam moderatur ad eam ſanctitatem, cujus excellentiâ creaturas

turas tranſcendit omnes, Deúmque ipſum vicinitate aliqua attingit: *Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Sed & *Cantum* (quæ tenerrima vocum vox eſt, quámque liquidiſſimam omnino habuit, quia nunquam infecta *ex ore Altiſſimi prodivit*) *Cantum*, inquam, ſubinde audita eſt adeo dulciter canere, ut ipſum Deum non tantùm detineret, verùm etiam èx Supremæ Majeſtatis ſolio pelliceret in anguſtias uteri Virginalis. O vocem! O concentum! O Muſicam! quâ nihil ſuavius ad auditum, nihil jucundius ad hilaritatem, nihil aptius ad caſtiſſimæ voluptatis augmentum, nihil potentius ad ipſum Deum trahendum, poteſt inveniri! Nolite tamen putare, me, quaſi Grammaticæ ſimul, & Muſicæ ignarum, unius cantantis vocem vocare concentum: acutioribus ſiquidem auribus auſculto, videórque mihi, ipſam *Æterni Patris cytharam* ex caſto Virginis utero audire conſonantem, & exultantem. Illam ſine dubio cytharam, in qua Deus ab æterno luſitſe,

se, omnésque creaturas, & hanc abyssalem ærumnarum vallem dulcissimâ ejusdem suavitate demum effecit sonoram in tempore. *Christus enim* (inquit Amadeus, novum efformans Orpheum) *Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo ex substantia Matris in sæcula natus, exultavit Gygas geminæ substantiæ, modulatisq; vocibus, simúlque chordis suavissimis, in cythara corporis decantare, & in carnis organo, virtute Spiritûs Sancti compacto, dulcissimos sonos edere, & ineffabili concordia resonare cœpit; adeo, ut lapides suscitaret, ligna commoveret, feras traheret, homines abstractos á carne educeret in sublime.* (a) Ecce Musicam! ecce concentum, ipsa dulcedine dulciorem! Sed perge porro, O amabilis Mater! perge cantu tuo amores tui prolicere; insatiabilis siquidem sum auditor; quamvis simul balbutiens Orator. Repetatur, sonet millies vox tua in auribus meis; Sonet vox illa, quam ut purissimam conservares semper, ab Adameo insuper pomo abstinuisti, non ignara illius paræmiæ: *Poma, pyra, nuces destruunt Cantoribus*

(a) *Amad. Lausan. Ep. hom. 4. de laud. B. V.*

ribus voces. Sonet vox illa, qua ex more ipsos lucis præcones, canoros alites, pulchréque modulantes luscinias, divinæ laudis hymno antevertens psallebas spiritu, psallebas & mente. Sonet vox illa, qua adeo suaviter, jucundéque tuam salutasti consanguineam, ut ad saltum excires Joannem (siquidem adhuc infans exultavit in utero matris suæ,) mutóque patri solveretur lingua, & vicinia tota in gaudia & gratulationes animaretur. Sonet vox illa, qua vagientis Dei lacrymas tranquillâsti, trementium membrorum in malè compacto tugurio frigus mitigasti, arreptæ in Ægyptum fugæ amaras molestias dulcorâsti, ac non raro insomnem pro dormientibus mortalibus Salvatorem filium in mellitam Somni suavitatem immersisti. Sonet vox illa, qua in cœlestibus regnis Prælata, seu cunctis Virginum Præfecta choris (a) ad delicias immaculati Agni, per speciosa collium æternorum spatia præambulantis, cantabis (b) *Canticum* illud *novum*, quod nemo cantare po-

(a) *Fulbert. Carno: Ser: 11. ar.2.c.2.*
(b) *Bern. serm. 2. de Annunt. B.V.*

poterit, nisi *Virgines*, nisi *empti ex hominibus, primitiæ Deo & Agno, & in quorum ore non est inventum mendacium.* (a)

(a) *Apocal. c. 16.*

Amara hîc mentem subit cogitatio AA. Humanissimi, dum subeunt plurimorum commentationes, dicam? an compositæ levitates Poëtarum. Vix enim mihi temperare possum â gemitu, dum considero, quàm dispar & infelix sit conditio eorum, qui ex hac Marianæ Poëseos palæstra non prodeunt; sed ex nescio cujus Parnassi prostibulo choros ducunt non Virginum, sed meretricum, cothurnis incedentes non ad modestiam morum, sed ad omnem turpitudinem amorum. Miseret me certè, quòd dum possent esse poëtæ, in quorum ore non inveniatur mendacium, gloriosum putent mendacia ducere in triumpho; dum ex purissimo perennis vitæ fonte, non fabulosi Pegasi ungulâ, sed occisi Agni castissimi pede excusso, limpidissimam haurire possent puritatem, malint fœdissimas lasciviæ cloacas non tantùm ipsi bibere, sed & alijs copiosè propinare

ad

ad abominandam innocentium animarum ebrietatem. Quaſi verò ipſa vitia, & humanæ naturæ pravitas ſatis robuſta non ſint, ut â talium poëtarum laſciviente ingenio debeant roborari. Quaſi verò ad incendium neceſſe ſit ignibus ignem addere, fornacibus ligna, oleum camino, furijs flagellum ſubminiſtrare. Protruduntur frequenter ſpecioſa verſuum volumina, & quid aliud ſunt, quàm contectæ ſordium lacunæ, impudentium animorum characteres, quibus & Plauti ſcurrilitas, & Martialis obſcænitas, & teneritudo Ovidij, & Tibulli facetiæ, & Propertij ignes, & Terentij lubricum exprimitur; quiq; dum curiosè leguntur, dolosè illigant, dum animos ſubeunt, ſauciant & occidunt? Inſatiabilis nimirum eſt malitia, cui ſatis non eſt, ſi ſimilium carminum authores proprias animas ſpurco commaculent ſpiritu, niſi etiam aliorum corda ſceleſtis libidinum ſcintillis ſufflamment. Non ſatis eſt nigrum Theta mentibus ſuis altè impreſſiſſe, niſi etiam chartæ ac

Bibliothecæ propudijs iſtis incæſtentur; non ſatis eſt ore, aut oculis vulnera inflixiſſe, niſi etiam impuris calamis ſaucient lectores, ſola plerumque Dei manu conſanandos. O monſtra, non homines, in Vulcani, fabri ferrarij antro ad nocturnos diurnóſque Veneris ignes fabricata? O belluæ omnibus belluis immaniores! O probra nunquam eluenda, quàm diu inſcripti amores veſtri ex chartis & animis mortalium non eradentur!

Sed pudet, tædétque plura dicere. Ad vos ſe ſe mea tandem convertit oratio, O Juvenes! uti ſcientiarum omnium, ita caſtiſſimæ Poëſeos innocentes adhuc, ſive candidi Candidati. Vos obſecro, obteſtórque, ut ſi ad conficiendam carminis dulcedinem alicubi ſugere vultis mella (ſunt enim Poëtæ teſte Horatio (a) apes) non aliud viridarium, non alias florum areolas involetis, quàm Marianæ noſtræ Univerſitatis. In his aperientur vobis â Magiſtra Virgine fontes nobiliſſimi, limpidiſſimi, atque in vitam æternam ſalientes; è quibus

(a) *Odarum: lib. 4. od. 2.*

bus non tantum bibetis abunde ad fundendos acutos Elegos, graves Jambos, rotundos Hendecaſyllabos, jucundos Lyricos, feſtivos Dithyrambos; qui reliquos ſupereminéant poëtica amænitate, hiſtorica veritate, metaphorica majeſtate; ſed quod ſupra meritum eſt, ac prorſus divinum, ipſum Deum haurietis, ut cum veritate canere poſſitis, quod cum falſitate cecinit infamis ille:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo. (a)

(a) *Ovid. Faſtor.* 6.

Hoc Deo plenus, ſuas inter apiculas canendo, pura delibavit mella ſedula illa operatrix apis, Urbanus VIII. ad omnem urbanitatem

- - - Dulcior illo
Melle, quod in ceris Attica ponit apis.

Hoc Deo plenus pulchros ſpirabat pectore verſus Hermannus Hugo, cui puriores fontes

Apéſque de cœlo propinant
Lethifero ſine felle, mella.

Hoc Deo plenus vernanti carmine chartas emollivit Jacobus Bidermannus,

 qui

qui quotidiana
Saxa & robora, corneasque fibras
Mollit, dulciloqua canorus arte.

Hoc Deo plenus Lyram suam animavit Mathias Sarbievius, qui ab æquiore quacunque mente judicari debet,

Tenuisse celsa junctus astra Pindaro,
Montémque victor isse per biverticem,
Nulli secundus inter astra Delphica.

Hoc Deo plenus calamum suum condivit Jacobus Balde, qui

Seu vult cothurnos Noricus, induit;
Soccata seû arridet Hellas,
Socco Helicon Patris intumescit.

Hoc Deo plenus gemmeæ dictionis vibravit lumina Nicolaus Avancinus, quem dum nomino,

Favete linguis;
Vestra est illa dies, favete Musæ,
Dum, qui vos geminas tulit per artes,
Et vinctæ pede, vocis & solutæ,
Romani colitur chori Sacerdos.

Hoc denique Deo pleni ad suavissimam Poëseos majestatem cecinerunt Bentius & Stephonius, Remondus & Frusius, Rosvveydus & Cabillia-

vus, Hesius & Bahusius, Malapertius & Causinus, Bisselius & Masenius, Wansinus & Petavius, Donatus & Cellotius, Ines & Verpæus, Vincartius & Wallius, Libenius & Sanctius, Gazæus & Gallucius, ac Sexcenti alij, omnes JESU Socij, MARIÆ clientes & Discipuli; quibus Virgineum os canendi, pedésque fuere Angelici ad castissimos nitidissimósque versus illigandos.

Quisquis igitur horum virorum æmulatione tangitur; quisquis tantorum Poëtarum exemplo inflammatur, hanc nostrã Magistram adeat, ea duce ac auspice desideria pascat, Parnassum tentet, fontes degustet; promitto certè, venas ejus ita irrigatum iri, ut non tantum ambrosium nectar possit fundere; verùm etiam lauro, temporibus suis redimendis jam jam destinatæ, procurare undas ad virorem, nunquam interiturum.

Sed & nunc fortasse scire quis desiderat, quo carminis nitore discipulum instructura sit Dei Mater.

Num veterem illam, & pridem exoletam Hebraicæ ſcholæ Poëſim, an novam hanc, tot feſtivis ſalibus conditam, tot mellitis verbis plenam ſit profeſſura?

Obſecundo votis, & quâ doctrinâ ſuum quendam Auditorem impleverit, quave vos omnes ſuſtentura ſit, exhibeo perlibenter. Audite verſus, venam æternæ vitæ, non equi Pegaſei ſapientes ungulam, quos ipſà de novo Parnaſſo, ubi divina Sapientia non uno, ſed quinque fontibus in cruce manabat, venuſtè mutuavit, & cuidam ſuo diſcipulo non latini, ſed Indici ſermonis elegantiâ dictavit.

Pater en noſter! Genitor noſter
Rigidis clavis in cruce fixus!
Cor transfixum cuſpide amoris,
Sanguine toto corpore manans
Omnes circum proluit artus:
Cerniſne caput, declive caput,
Caput hoc flavæ ſimile ariſtæ?
Viden, ut cingunt ſpinea ſerta,
Uſque ad tenerum fixa cerebrum?
Patris heu noſtri cerne capillum,

Spar-

Sparsum, incomptum, sanguine fœdum!
Oculi tristes, lumina mæsta
Roseas lacrymas largè effundunt:
Fluxisse putes molle corallum.
Heu confudit jam decus oris,
Pallorque genis sedet exanguis!
Etiamne manus, Patrisne manus
Ferro affixæ, sanguine rorant?
Os mellifluum, Patris os nostri
Pro me misero jam conticuit?
Extra Solymæ mænia terræ
Crucis exivit mole gravatus,
Et pro scelerum mole meorum
Extra Solymam crucifixus obiit.

Ita cecinisse Mariam, Franciscus Bentius (a) & Joannes Bonifacius (b) testantur, ego dixi.

(a) *In Annal. de hist: sedis Iul: Prov: Peru: n. 22.*
(b) *De B.V. vita & mirac. l. 2.*

PRÆCONIUM.

ILlustris Eloquentia! hac Dei laudes celebro: hac virtutem laudibus in cœlum fero: hac vitij robur frango: hac mundos divido, cœlestem ni-

mirum, & eum, qui ad interitum tendit: hac etiamnum hîc versans animum â corpore disjungo, útque â formis imagines, sic ego alterius vitæ naturam ab altera, finémque beatum ab exitioso fine distinguo. O Eloquentia, ad cujus laudes prædicandas mihi eloquentiâ opus foret, quàm cuperem parem facundiæ tuæ orationem afferre posse? S. Greg. Nazian: in carm: Nicobuli ad filium. Interprete Jacobo Billio.

ORATIO IV.

MARIA, præceptis bene, Sanctissiméq; dicendi instructa; ideóque Magistra Eloquentiæ.

O Quàm vellem hodie, ad evincendã Marianæ facundiæ præstantiam,

ſtantiam, tranquillo potius auriũ obſequio Mariam audire dicẽtem, quàm imbecilli linguæ conatu eam dicere eloquentem! Suſpicor enim, omnes illos, qui Deiparentem â taciturnitatis ſeveritate, converſationis parſimonia, morum actionúmque conſtanti gravitate glorioſa panegyri extollunt; prompta voluntatum inclinatione credituros, Rhetoricæ flores, verborum Favonios, ſententiarum acumina, figurarum amænitates, periodorum amabiles circuitus, geſtuum modeſtiſſimorum charites non tam iniquæ conditionis eſſe, ut non etiam in graviſſima Matrona, quamvis aliàs verborum parca, ſuum quandóque habeant pretium; cùm præſertim de DEI Matre adſtipuletur Fulbertus: *Coruſcabat foris in ſuperficie ſermonis.* (a) Pulchri, fateor, ingeniorum luſus ſunt, Mariam unius tantùm *Verbi* & quidem *Infantis* fuiſſe Matrem; illius labia favum ſolummodo diſtillâſſe non pluiſſe; guttur ejus fuiſſe, ſicut vinum optimum, ſeu annoſum, quod in vaſe

(a) *S. Ful: ſer. 1. de B. V.*

vaſe nulla loquacitate tumultuatur, quemadmodum vinum novum: pulchrum etiam, agnoſco, cum Ambroſio (a) & Bernardo (b) in virgine decus eſt, abſtinuiſſe ab hominum cætibus, vitâſſe viciniam, interdixiſſe ſibi publico: pulchrum prætereà, erubuiſſe pudicitiâ, quâ nulla purpura eſt pulchrior; conſtitiſſe probitate, qua nullus ornatus cultior; enituiſſe modeſtiâ, qua nullum pigmentum venuſtius; emicuiſſe verborum actionúmque verecundiâ, quâ mortalibus nihil gratius: Sed matronam, tótque filiorum, ab Adamo deſcendentium, novam, auguſtiſſimámque Matrem, mundi Dominam, Doctorum Magiſtram verecundo ſilentio preſſiſſe omnia, ſi quando locus incideret de amplectenda virtute, dirigendis docendiſque diſcipulis, erudiendis infidelibus, fugienda voluptate, contemnendis honoribus, oppetenda morte, continendis denique in officio Chriſtianis, induci non poſſum, ut aſſentiar. Inane quoque illud argu-

(a) *S. Ambr. l. 11. in Luc. c. 11. t. 5.*
(b) *S. Ber. hom. 3. de B. V.*

argumentum est, ac potius ingenij commentum, DEI Sponsam Sacri Epithalamij cautelâ fuisse admonitam, ut fæcunda cogitationibus ac verbis soli Sponso loqueretur, juxta illud: *Quæ habitas in hortis, fac me*, non mortales, non angelos, licèt, arrectis adstent auribus (ut loquitur hic Richardus) me, inquam fac *audire vocem tuam*: tantùm enim abest, ut is solus & unicus ambiverit Dilectæ suæ loquelam, ut tunc potius eam loqui voluerit, ad persvadendum, quando *amici auscultant*. (a) Non est igitur AA. non est, cur me dicere incipientem paucorum sensa perturbent, si aliunde ad hanc causam parem animi magnitudinem afferre possum. Verùm hic labor, hoc opus. Quæ enim dicendi vis tanta, quæ linguæ facundæ opulentia tanta, quæ vocis elegantia tam diserta, ut par sit illi facundiæ, quam obsequioso conatu intendo explicare? An non ingens imprudentiæ argumentum est, velle in solem oculos defigere, & tamen aciem nolle percelli;

(a) Cantic. c. 8.

celli; oceano se immergere, & submersionis periculum non formidare; cælum cum Icaro scandere, & casum non expavescere? O quàm metuo, nè quemadmodum aureus ille astrorum princeps sol serenissimo corporis sui splendore omnium siderum lumina, quæ noctis beneficio, nobis in firmamento apparent, absorbet; aut sicuti fluvij majorum navium baiuli â latere influentes aquas exhauriunt,& quasi submergunt; ita ab eloquentiæ Marianæ vel lumine vel flumine dictionis meæ tenues adhuc & exigui seu radij seu rivuli, ubi se se in illud imerserint, absorbeātur; cogárq; prius quodammodo facere orationis finem, quam initium. Sed me recreat, & reficit Mariæ Sapientissimæ ac benignissimæ Matris patrocinium: quæ profectò nec benignitatis suæ putaret esse,quem in suarum gratiarum præconiū animasset, eundem voce ac viribus destituere: nec sapientiæ, quæ in ea summa fuit, animatum jam ab ea clientis conatum exanimare. Quamobrem

rem illud agam pro menſura virium, ut licet pauculi in hac cauſa arbitri judicent, Dei-parentem tantùm fuiſſe taciturnitatis amicam, quantùm alij eam extollunt facundam Eloquentiæ Magiſtram, omnes tamen intelligant, & Rhetoricæ præceptis in juventute, & amabili dicendi exercitio in provecta ætate præcelluiſſe.

Fabularum opifices poëtæ, dum in profanæ Sapientiæ Scrutaria, aut nundinis, merces ſuas exponunt, & ficta pro veris, fucata pro ſinceris ſine lucro ac fidei mercede venditant, illud tam pretioſum quàm verum commentum non in poſtremis jactitare ſolent, quòd in efformanda ad omnes pulchritudinis ac præſtantiæ regulas Pandora, deorum ſinguli ſe ſe ita impenderint, ut Phæbus in vultu bina ſuccenderit ſidera, Flora genas expinxerit, Gratiæ frontem ſerenârint, Venus candorem corpori afflârit, Jupiter majeſtatem addiderit, Bellona fortitudine obarmârit, Saturnus animi conſtantiam indi-

indiderit, Pallas universitate scientiarum instruxerit, Svada denique, & Mercurius ad eas exhibendas ejusdem labris mella, linguæque facundiam inspirârint. Verùm nugivendulis sint hæc ad pretium & æstimationem; nobis, qui in amplissimo religionis, divinioris que Sapientiæ emporio saniora mercamur, ad insignem cedant falsarum mercium detestationem, & disquirendæ veritatis opportunam occasionem. Quæ est igitur illa, in quam, ut esset mulierum pulcherrima, incomprehensibiles divinitatis personæ omnem derivârunt venustatem? Quæ est illa, cui se totum quodammodo impendit Pater, communicavit Filius, infudit Spiritus Sanctus? Est Patris filia, Filij mater, Spiritus Sancti Sponsa. Sed quæ est illa, quæ tam magnificis effertur titulis, tam sublimi celebratur honore? Est MARIA. Hanc siquidem in initio viarum suarum ita possedit; seu potius, ut sapientiæ proceres commentantur, (a) omnibus creaturarum omnium

(a) *Apud Salazar. in Prov. Sal. c. 8. v. 22.*

omnium facultatibus, & excellentijs Deus exornavit, ut dum alijs ornamenta partiretur, in Maria pulcherrimâ varietate componeret, coacervaret. Quando enim orbi terræ ad pulchritudinem imposuit montes, ut decorâ proceritate appropinquaret cœlo, filiæ suæ augustam corporis dedit eminentiam; hinc *caput tuum sicut Carmelus*: (a) quando hortos & prata capillavit gramine pinxítque virore; crinibus filiæ regalem tribuit honorem, quia *comæ capitis ejus sicut purpura regis*: (b) quando segregatis â terra undis & fontibus insolitum inspersit nitorem; in nitidissimas gemmas gyravit filiæ oculos, ut essent perspicui, *sicut piscinæ in Hesebon*: (c) quando cultiores terræ areolas purpuravit rosarum sanguine, & in arboribus fructuum prodromos protrusit flores; in filiæ suæ genis elaboravit ad omnem vernantis illecebræ invidiam florem mali punici; hinc *sicut flos mali punici, ità genæ tuæ*: (d) quando botros in vineis ad partum nobilissimi liquoris fecit intumescere;

(a) *Cantic. c. 7.*
(b) *Ibidem.*
(c) *Ibidem.*
(d) *Ibid. c. 4.*

ſcere ; lacteum rorem diſtillavit in uberibus Filiæ, futuræ olim Dei Matris ; hinc *ubera tua ſicut botri vineæ* : (a) quando de agrorum pinguedine fructum præſtantiſſimi *frumenti extraxit* triticum, jam tunc deſtinavit in uterum Filiæ *Frumentum Electorum* , (b) crudelibus Judæorum flagellis triturandum ; hinc *venter tuus ſicut acervus tritici*:(c)quando deníque (quis enim omnia percenſeat) ad prædícanda divinitatis opera mortalibus diſtinxit labia, linguáſque reſolvit ; Filiæ ſuæ non tantùm decorè aptavit linguam & labia ; ſed inſuper, ut amabili ſermonis elegantiâ præcelleret univerſos, melle ac lacte irrigavit ; hinc *mel & lac ſub lingua tua* , (d) O Maria ! ideóque eloquium tuum dulce atque decorum , (e) vel ut habet Nicephorus (f) *labia tua florida & verborum ſuavitate plena.* Illa procul dubio ſuavitate, cujus copiâ Seraphicus Doctor nutricatus , nonnunquam exclamavit : *O quàm melliflua verba diſtillaverunt dulciſſima Mariæ labia ! melliflua in orationibus ad Deum ;*

(a) *Ibid. c. 7.*
(b) *Zach. c. 9.*
(c) *Cant. c. 7.*
(d) *Ibid. c. 4.*
(e) *Hebr. lectio apud Sanctium.*
(f) *Lib. 2. hiſt. c. 23.*

Deum; lactiflua in collocutionibus ad proximum! (a)

Videtis, opinor, AA. quàm liberalis in ſtructura corporis Mariani extiterit Pater; quàm munificâ potentiæ ſuæ virtute adaptàrit tenellos artus, conformárit membra, nobilitârit animam, ut omnium creaturarum pulchritudinem tranſcenderet Filia, eſſetque Auguſtiſſima, nitidiſſima, floridiſſima, fructuoſiſſima, Sapientiſſima; & quod unicè hic evincere contendo, eloquentiſſima.

Verùm itane Pater ſupereffluentis largitatis fontes diffudit in Filiam, ut in Matrem nihil contulerit Filius, in adornanda Sponſa defuerit Spiritus Sanctus? An non, teſtibus Romano & Nazianzeno Gregorijs, totius conſilio Trinitatis homo factus eſt? Si homo, cur non illa creatura, quam *cæli terræq; myſteriũ* appellavit Epiphanius (b) *Deiformem* Auguſtinus, (c) *Deificatam* Damianus? (d) Abſit, abſit, tam grande piaculum cogitare de Filio,

(a) *S. Bonav. in ſpec. c.20.*

(b) *S. Epiph. ſerm. de laud. B. V.*

(c) *Apud Avancin. orat. 4. de B. V.*

(d) *S. Damian. ſerm. 2. de Nat.*

Filio, qui non tantùm ex filialis observantiæ legibus, ſed etiam ad liberaliter conteſtandos amores in Matrem, nihil unquam omiſit, quod erat vel ſublime, vel ſingulare. Et quomodo abeſſe potuit Filius, quando *Verbo* cæli firmati ſunt; *Verbo* ſol & luna radiârunt; *Verbo* terra conſtitit; *Verbo* aquæ â terra ſegregatæ ſunt; *Verbo* aër alite, mare piſcibus, arva meſſibus, campi gramine, Sylvæ, animantibus repleta ſunt? Ipſe ſiquidem *dixit (Verbum)* & facta ſunt omnia, etiam MARIA. Quomodo abeſſe potuit Spiritus Sanctus, qui, dum congregationes aquarum fierent, jámque dimanarent in mare, circuirent in flumina, ferebatur ſuper MARIA? Maneat proinde, quod pridem ſenſerunt Patres, *totius Trinitatis opus & complementum* (a) eſſe MARIAM; maneat, quod cum teneriorum affectuum Theologis aſſero, eam jam tunc comptiſſimæ eloquentiæ præceptis fuiſſe imbutam, quando ab initio, & ante Sæcula Pater exornavit linguam & labia; Filius

(a) *Euchatius Orat. de B. V. tom. 5. Bibl. Patrum & Eſthius.*

lius linguam insedit ut *Verbum*; Spiritus Sanctus totâ sui plenitudine se infudit ad complendam omnibus numeris perfectissimam, verissimámque Pandoram. Et talis erat, dum ab initio viarum divinâ conciperetur mente, *Filia singularium Dei cogitationum*. (a) Sed nec alia esse potuit in tempore, nisi, quod horret animus, impiè quis cogitet, fæcundissimam Numinis mentem monstrum abortivum parturijsse. Vos ego hîc testor beatissimos Sanctissimósque Parentes Joachime & Anna; nunquid dum maternis solutam visceribus vidistis filiam, illa vestra decrepita vota, illam orbis universi felicitatem; vidistis in tenero corpore insolitam pulchritudinem, in fronte Serenitatem, in oculis sidera, in genis amænitatis theatra, in labijs rosas, in pectore candorem, in utero lilia, in membris alijs majestatem, in omnibus deníque motibus ornatissimas gratias, ipsam ætatem prævertentes, ac celerrimo postea gradu secuturas? Vos testor, O nimium

(a) *S. Damascenus.*

 for-

fortunatæ Virginum animæ, quibus illa felicitatis obtigit occaſio, ut intra templi clauſtra contubernalem haberetis Virginem, ad cujus amæniſſimam converſationem, veluti ad terſiſſimum ſpeculum, mores veſtros potuiſtis conformare; nuncquid eâ fuit taciturnitate, ut ſi quando incideret opportunitas ſive invehendi in puellarem mollitiem & levitatem; ſive prædicandi caſtarum mentium beatitudinem, veſtium frugalitatem, morum modeſtiam & verecundiam; ſive avocandi vos â perituris ad perennaturos Sponſi cæleſtis amores, quaſi elinguis conticuerit, & non potius facundo, inflammatóque affectibus ore, voce verò ad modeſtiſſimam temperatâ ſuavitatem munus expleverit perfectiſſimæ Oratricis? Te teſtor facundiſſimi præcurſor Verbi, & Chriſti amabilis conſangvinee, quo inter natos mulierum non ſurrexit major, magne coram Domino Joannes; nunquid in Verbo potens Maria, quæ optimorum Rhetorum eſt felicitas, ad motum peroravit, quan-

quando matri tuæ Salutem non tantum attulit, ſed & copioſâ dixit humanitate? Memini enim, Te quóque non ſine maternorum viſcerum commotione ad dicentis vocem exultaſſe, applauſiſſe. Vos teſtor deníque ſuperbos Judææ montes, humiléſque valles; felices, quia plena Numine Oratrix noſtra vos jam pede Sacratiore conſcendit, jam ſe ſe ad vos inclinavit Magiſtra Orbis & Domina; edicite, nunquid, ut poſteritati quóque faceretis reſonantem, cavernoſis fiſſuris, quaſi ore hiante, canoram illam Mariæ eloquentiam excepiſtis, quando benedicenti cognatæ ſuæ Eliſabeth non ad numeros ſolùm poëticos cadente, ſed inſuper compoſito ad Rhetorum præcepta ſermone reſpondit, ac ingentia divinæ bonitatis beneficia extulit, & dilaudavit? Euchariſticus námque ille lætantis animi jubilus habet profectò Rhetoricæ artis conformationem, quâ præcellit; flores, quibns delectat; verborum mella, quibus influit; vires, quibus

penetrat; flammas, quibus accendit; alas, quibus sese in Deum librat; argutias, quibus Sponsi sui pectus in amorem vulnerat; figuras deníque quibus eloquentiam orbi propalam profitetur. Enim verò si quis *gradationem*, qua supra communem loquendi consvetudinem ex alio in aliud proceditur, in jubilo desiderat, deprehendet sanè gradientem augustiùs, dum beneficia, munificâ Dei liberalitate profusa, parantis verborum gratijs celebrans, tandem ad Supremum omnium beneficium Divini Verbi Incarnationem gradum faciendo, facundissimè concludit: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Si quis amænos descriptionum fontes, ipsásque *periphrases* apud eam investiget; inveniet nobilissimas, indeque liberaliter scaturientes, unde ortum traxit illa, qua delicias suas, DEUM, non nominans, honorificis circumscripsit epithetis: *Fecit mihi magna, qui potens est, & Sanctum nomen ejus.* Si quis *antitheses, tropos, emphases*, aliaque Sermo-
nis

nis ornamenta expoſcit, dabuntur ei ad voluptatem; quia, ut verbis Gerſonis, Magni Sorbonæ Cancellarij loquar, *ſub varia tropica antitheſi junxit cum miſericordia morem ſeveritatis; cum diſperſione, & depoſitione ſuperborum, humilium exaltationem; cum eſurie ſatiante, Saturitatem inanem: tandémque concluſit, ut Oratrix peritiſſima, per hoc verbum: Suſcepit Iſrael puerum ſuum.* (a)

(a) *Tract.* 2. *in Magnificat.*

Sed quid ego ſermonis Mariani elegantiam extollo? Schemata certè ad perſuadendum, movendúmque adſcita, infimæ Rhetoricæ partes ſunt, quæ ex munere ſuo ſervire debent ſententiæ, non dominari. Oratio non magis figurarum coloribus pingenda eſt, quàm rerum opulentiâ nutrienda. Auditorum animi non chameleontis inſtar verbis, quaſi aëre, paſcuntur; ſed ſuccoſo argumentorum robore cupiunt ſuſtentari. Non veſtis, non comæ, non cincinni dictionis coṁendanda ſunt in MARIA; ſed præcipua membra, ſed nervus, ſed medulla. Bene habet, AA. Si fontes & locos cùm intrinſecos,

 ſeu

ſeu ab ingenijs oratorum ex ipſis rebus erutos; tùm extrinſecos, & aliunde mutuatos, quos Summi Sapientiæ Magiſtri & aperuerunt & indicârunt, MARIAM liberaliter deguſtâſſe; ſi reliqua diſertiſſimæ facundiæ munia calluiſſe, non obſcuro argumento oſtendero, dicetiſne, quidquid in arguendo magnum, in concipiendo ſublime, in diſponendo concinnum, in eloquendo grave reperiri poteſt, ei adſcribi oportere? Dicetis. Nam is eſt veſter in Patronam affectus, & amoris indoles, ut ſiquando ad novam Marianorum decorum acceſſionem conficiendi ſunt tituli, malitis ſagaci arguendi facilitate prævenire, quàm lentâ aſſensûs benevolentiâ ſubſequi oratorem. Arguetis proinde mecum, ubertimos *Inventionis* fontes in ea manâſſe non tantum tunc, quando nobiliſſimum elaborans conceptum, *Inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto;* (a) ſed tunc etiam, quando conceptus ille, nonnunquam elapſus, *Inventus* eſt in medio Doctorum, ſubtilitatem ejus

(a) Luc. c. 2.

ad-

admirantium. Arguetis mecum maturam, exactámq; disponendi dexteritatem, quâ inventas rerum materias, & materiarum selectas copias studiosissimè ordinabat, quia cum Deo erat *cuncta componens.* (a) Arguetis mecum suis numeris perfectam *elocutionem*, quâ capiendis sive mortalium animis, sive Angelicorum Spirituum intellectibus, sive Supremi Numinis benevolentiâ delitiosè occupabatur, quando illo ipso eloquentissimo *Verbo* mundum recreavit, quo tota æternitate DEUS fuit facundissimus. Arguetis mecum elocutionem, nullis pigmentis fucatam, nulloque Poppysmate contectam; sed nudam sincerámque, cùm per annos complures habuerit Magistrum, qui postquam cum ea, cum amicis, cum latronibus, cum hostibus cum Patre suo voce magna locutus fuisset, lanceâ transverberatum exhibuit pectus, ut aperto pectore nudatoque corde ostenderet, se sine fallacia locutum, & sine fuco perorâsse. Arguetis mecum præcellentem *Memoriam,*

(a) *Prov. c. 8.*

tur, quia constat ex Sacrorum oraculorum apicibus, eam verba omnia in corde suo conservâsse. Unicum fortasse *Pronuntiationis* munus in ea requiret frivolus aliquis, quia *turbata*
(a) Luc. c. 1. *est in sermone*: (a) Sed nec hîc vacillasse dici potest; cùm, siquid trepidationis, ad illustrem pudicitiæ commendationem, passa est Virgo, id non suâ, sed insolitâ formosissimi Juvenis allocutione probabile sit, provenisse. Et quamvis datura responsum nonnihil hæsitâsset; cùm Oratoris sit, dicenda prudenter cogitare, cogitata consultè disponere, disposita maturè expedire, atque ad audientes proferre, meritò sanè pri-
(b) Ibidem. us *cogitabat*, (b) antequam loqueretur, divinæq; voluntati subscribens profunda humanitate ancillam se profiteretur. Atque ita quidem, accommodè mecum arguentes, eloquentiæ Magistram constituetis MARIAM; orationem tamen meam necdum omni ambiguitate ac dubio, evolvi videtis; siquidem leviora hæc censeri possunt, magisque ad palpandos

in

in pium affectum animos apta, quàm ad pertrahendos in aſſenſum. Vehementior proinde moles adhibenda videtur, quæ in ipſa reluctantium pectora irrumpat, & veritatis extorqueat confeſſionem. Meminiſtiſne, congregatos aliquando fuiſſe in concilium, omnéſque pariter diſcipulos in eodem loco conſediſſe? Meminiſtiſne etiam, tunc factum eſſe repentè decœlo ſonũ, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, qui diſruptis cœlorum nubibus illapſus ſuper duodenos Apoſtolorum vertices conſtitit, ſeſéque totum mentibus eorum infudit? Quorſum illa ad terrorem auribus, ad aſpectum oculis, ad amorem animis portentoſa miracula? quorſum illa fulminantis, ſonantis, ardentis, ſpirantis, unientis, amantis vehementia? Dicam, quod geſtit animus. Promiſſus erat diſcipulis profeſſor, qui cùm eos eſſet docturus, neceſſe habuit dotes Magiſtri Optimi exhibere: hinc ut doceat, ſonat; ut inſpiret, ſpirat; ut inflammet, ardet; ut placeat amat; fulminat

ut

ut compellat. Sed quam facultatem docendo auſpicatum fuiſſe arbitramini? An illam diſciplinarum omnium Magiſtram Theologiam? an tribunalium, magiſtratuúmque præſidem Jurisprudentiam? an generis humani fulcrum, & conſervatricem Medicinam? an naturalium Scientiarum Dominam Philoſophiam? Dicam iterum, quod obſequioſior extorquet opinio: Diviniſſimus ille Magiſter, ut compendiariâ quadam brevitate omnium litterarum evolveret facultates, taléſque formaret oratores, qui omnium diſciplinarum ſupellectile inſtructi, in omni arena, omniqúe materia poſſent perorare, de diſcipulorum ſuorum verticibus, veluti è cathedra, Rhetoricâ eſt profeſſus. Hinc, ut de rerum dicendarum copia non eſſent ſoliciti, docuit *omnem veritatem*; ut eſſent facundi, omnium eruditrices ſuppeditavit linguas; ut accenderentur in fervorem, affudit ignem; ut dictionem illuſtrarent luminibus, inſperſit flammas; ut in diffitis audi-

rentur

rentur terrarum tractibus, addidit ſonum; ut percellerent timore, conceſſit tonitrua; ut flecterent animos, ingeſſit vehementiam. O temporum illorum felicitatem! O felices beatóſque Diſcipulos, quibus contigit, in prima ſtatim Magiſtri lectione ità imbui, ut opus non fuerit in inania illa verboſorũm rhetorum vota prorumpere, quibus diſertiſſimorum linguas, oráque centum ſolent exoptare; quia non unius, ſed multarũ linguarum beneficium ſunt conſecuti! Iterum iterúmque felices rhetores, qui vix ſcholam ingreſſi adeo facundè perorarunt, ut in omnem terrã exiverit ſonus eorum, jámque Parthi & Medi, Ælamitæ & Judæi, Cappadoces & Phryges, Aſiatici & Ægyptij, Romani & Proſelyti, Cretes & Arabes fortiùs tracti ſint dicendi potentiâ, quàm Gallicani Herculis commentitijs viribus mortales auribus aureè catenati. Prævertitis opinor, AA. celeri mentis acie meam in dicendo tarditatem, & quod pridem dixiſſe oportuit,

oportuit, irrefragabili decernitis ſententiâ, Dei-parentem in hac Spiritûs Sancti effuſione longè abundantius fuiſſe repletam; & dum Apoſtoli eloquentiæ flumen exceperunt, in eam derivatum eſſe oceanum; non illum quidem, qui contra pertinaces mentium rupes effervefceret; ſed qui auditores ſuos tanquam adblandientis oſculi tactu adlamberet, ac demulceret. Nisì fortè cum nuper natis Scripturæ Interpretibus (a) minùs Marianè malletis ſentire, ac dicere, hìc, ſi unquam aliàs, diſcipulos fuiſſe ſupraMagiſtram, quando de cæleſtium donorum & linguarum affluentia ij ſoli, Matre, neſcio cur & quomodo, excluſâ, communicârunt. Sed O inſignem humanæ mentis lentitudinem! quæ, quod exigua ſua virtute apprehendere non valet, quem in finem eloquentiæ facultate debuiſſet exornari, mavult ex intelligentiæ ſuæ anguſtia tam nobilem ſcientiarum gemmam inconſultè detrahere, quàm cum laudis mercede attribuere

(a) *Apud Ioan: Lorinum in acta Apoſtolorum.*

re

re DEI Matri. Habent hoc quorundam ingeniorum indoles, ut singularitatum amantes, sinant se potius opinionibus abripi in errorum devia, quàm trita senum vestigia legendo per avia deduci in amplexum veritatis. Humani intellectûs, vel voluntatis non tenerè affectæ vitium est, sic sibi sapere, ut alijs dissipiat, quando de authoritate Doctorum veterum in Marianæ præstantiæ com̃endationem renuit consentire.

Quid ad hæc Sanctissimi Præsules, Gregori (a) & Augustine, (b) pro amplissimo vestro in Mariam affectu? Sentitísne divinissimæ facundiæ dona descendisse in solos Apostolos, futuros orbis prædicatores, & non etiam in alios, ac præcipuè in Deiparentem? Quid ad hæc Hieronyme, (c) Cypriane, (d) Chrysostome, (e) & Theodorete? (f) Statuitisne apud vos, tam iniquum esse debiliorem sexum, ut eum ab hac tam nobilium charismatum communione excludatis? Quid ad hæc religiosissimi Doctores Alberte Ma-

(a) *S. Greg. l. 5. c. 7.*
(b) *S. Aug. Tract. 2. in Ep. S. Ioan.*
(c) *S. Hier. in Ep. S. Paulæ.*
(d) *S. Cypr. ser. de Spiritu Sancto.*
(e) *S. Chrys. hom. 74. in Matth.*
(f) *Theod. q. 11. in Iud.*

gne (a) Antonine (b) & Dionysi Richeli? (c) Dicitisne, Spiritum Sanctum in celeberrimo, maximéque solenni adventu suo declinâsse ordinariam sedem ac habitaculum, & non potius pleno flammarum lumine se infudisse, ut quod ante ad suavem, per novem menses, Dei quietem obumbrârat, jam ad omnem, quæ in terris dari potuit, divinorum ornamentorũ abundantiam illustraret? Non sentiunt, non dicunt, non statuunt. Imò fusiorem laudis materiam ingressi ultimi, luculenter asserunt, illo divini fluminis influxu longè pleniorem evasisse MARIAM, eámq; solam plus cæteris omnibus de tam copioso fonte hausisse. Si igitur, communi orbis Christiani consensu, Apostolici Senatûs Proceres ingentia facundiæ flumina ex ignea linguarum pluvia collegerunt; si tales oratores effecti sunt, ut eloquio suo gentes, genio diversas, in admirationem raperent; dictatoriâ demum sententiâ decernendum est, sub eodem eloquentiæ

(a) *S. Alb. in Mar. c.* 155.
(b) *S. Ant.* 1. *p. hist. t.* 6. *c.* 2. §. 1. *& 4.*
(c) *Lib.* 2. *de laud. B. V.*

quentiæ Professore numinis Augustam Matrem, quam Rhetoricæ artis excellentia, partim â Deo liberaliter concessa, partim assiduâ disertissimæ scripturæ lectione comparata jam ante insigniter commendabat, omnibus alijs præripuisse palmam, & magistralem in hac facultate coronam retulisse. Néque dubium est, altissimo quodam Stupore animos oculósque audientium tenuisse defixos sæpius, quando ad proliciendas è cordibus humanis reciproci amoris flammas de cæli ornatu, diviníque amoris magnitudine; ad excitandam rerum credendarum fidem, de reconditis Scripturæ mysterijs; ad acuendam in pusillis animis fiduciam, de inexhaustis Filij sui meritis; ad provocandas ex oculis reorum lacrymas, de immensa Dei misericordia; ad retrahendos â lubrico pravarum cupiditatum tramite, de æterni ævi venturi supplicijs disserebat. Testatur enim id ipsum Abbatum gloria Rupertus, (a) adstipulatur Sophronius,

(a) *B. Rup. in Cantica.*

 (a) af-

(a) *Serm. de Assum. B. V.*

(a) affirmat Hiſpaniæ jubar Ignatius, dum ad eum, quem non tantùm diligebat JESUS, ſed & MARIA, familiariter ſcribens ita refert: *Magnus eſt concurſus populorum, Reginam cœli videre, & audire cupientium.* Et quis non credat, hanc oratricem ad inſtaurandas cœleſtis Jeruſalem ruinas multo faciliùs attraxiſſe ſaxea mortalium corda, quàm ædificandis Thebæ mænibus lapides attraxerit Amphion? Quis non credat complures animas, æternùm perituras, diſertis, ſed modeſtis ejus ſermonibus feliciùs ab orco fuiſſe revocatas, quàm â facunda Orphei Lyra Euridices? Si enim verbo unico Deum Immortalem de cœlo traxit; cur non decentiſſima verborum liberalitate mortalia cogeret pectora, & in quem vellet, pelliceret aſſenſum?

Vivat proinde abſolutiſſimæ Magiſtra eloquentiæ MARIA! vivat magnorum, quos ab adoleſcentia uſque ad hoc ſenium ſuum ſuſpexit orbis, Rhetorum regina! Vivat in animis omniũ mortalium; ſed præcipuè di-

discipulorum, quorum numerus nobis est innumerus! Inter quos quia tamen etiam referri nos anhelamus, nè laudes ejus in posterum balbutiamus, vivat in linguis nostris! nè in affectibus simus frigidi, vivat in cordibus nostris! nè in conceptibus serpamus, vivat in intellectibus nostris! nè in verbis rusticemur, vivat in sermonibus nostris! nè dicendi viribus succumbamus, vivat in lateribus nostris! nè in gestibus displiceamus, vivat in manibus, brachijs, fronte, oculis, ore, labris, in totius denique corporis flexibilibus membris nostris!

Atque ita viventes vitâ tuâ, O MARIA! superabimus non tantùm dicendi copiâ Tullios, dulcedine Theophrastos, amænitate Hortensios, vehementiâ Antonios, subtilitate Menelaos, modestiâ Diogenes, gravitate Catones & Critholaos, quos antiquitas vel eloquentiæ parentes, vel latinas Syrenes adoravit; sed proximè etiam accedemus damascenos, mellifluos, aureos, cypri-

os, ambrosios oratores, quos Sæcula nostra divinioris facundiæ magistros suspiciunt & venerantur: cum quibus stabimus, quàm diu vita stabit, jurati Magistræ discipuli ac præcones, donec sudantes in ejus laudibus conatus nostri concidant, atque hunc demum sui referant fructum, ut deficiente undique Spiritu, hanc omniumOrationum nostrarum faciam clausulam: JESUS! MARIA!

PRÆCONIUM.

Philosophiæ unum opus est, de divinis humanisq; vera invenire. Ab hac nunquam recedit Religio, Justitia, Pietas, & omnis altus comitatus virtutum. Seneca Ep. 62.

ORA-

ORATIO V.

MARIA, naturalium rerum cognitionibus illuſtrata, ideóque Magiſtra Philoſophiæ.

ACtum videbor agere, Auditores humaniſſimi, ſi quam ſupra reliquos tum Sacros tum profanos oratores gloriæ pennis evolaſſe oſtendi, fuſiùs hîc, ſingularique niſu contendam, pulcherrimis rerum naturalium cognitionibus ſe ſe in eminentem extuliſſe ſublimitatem; cùm è Sacro Sapientum Senatu jam pridem intellexeritis, eum, qui omnibus numeris abſolutum vult agere oratorem, ex omnium ſcientiarum viridarijs flores non tantùm delibare, verùm etiam fructus, amæna dulcedine refertiſſimos deguſtare, atque in ſanguinem, ſuccúmque ſuum convertere oportuiſſe. Verùm quia oratione, non preſſa ratione, ſubobſcuro argumento, non firmamento, id inſinuavi non probavi; ut ampliſſi-

mos Marianarum laudum campos ingressus plures flores colligam, quorum odores & pulchritudines Auditoribus aliquam saltem faciant voluptatem, placuit penitiora camporum spatia subintrare, atque in primis inter vellicatrices spinas investigare *Rosam*, hoc est, de spinosis Philosophiæ difficultatibus triumphantem exhibere Magistram, eámque mundo proponere venerandam. Erit, opinor, conatus iste non inamænus; quia pulcherrima rosarum MARIA eum floridâ induet purpurâ, quando ob meam in dicendo imbecillitatem erubescam; erit aspectu sui non injucundus, quia renidente ac amabiliter annuente vultu illum exhilarabit; erit impendij sui liberalitate non frustraneus, quia ex rationis ductu, authoritate Patrum, consensu Interpretum, ita dictionem moderabor, ut quam hactenus Grammatici Grammaticam, Poëtæ Poëtam, Musici Musicam, Rhetores oratricem crediderunt, Philosophi Philosopham vereantur.

Unum

Unum vereri possem, nè si ardorem aliquis dicentem fatigaverit, desint aspirantium aurarum animæ, quæ & me in cepto cursu orationis animent, & Auditorum meorum animos in assensum conspirent. Sed ut etiam hunc metum excludam, facit fiducia, quam promptissima vestra audiendi benevolentia jam pridem excitavit, quámque singulare ac eximium studium, religiosissimâ voluntatum unione, ad divulgandas Deiparæ laudes, â vobis susceptum conciliavit. Quare dum argumentum approbatis, mecúmque agnoscitis, nihil ad Philosophiæ tum naturalis tum divinæ pretium esse accommodatius, nihil ad Philosophorum gloriam sublimandam excellentius, quàm si Deiparentem eorum constituamus Magistram; consuetis benevolentiæ vestræ Favonijs dicenti aspirate, & ego non sinè animi voluptate, ac dulcedine in hoc affectu vestro respirabo. Tu verò O sanctissima, suavissima & amabilis Mater! Rosa granoso cortice adhuc inclusa, (a) Rosa spinarum satel-

(a) *Plin. Nat. hist. l. 21. c. 4.*

ſatellitio munita, Roſa inter filios Adæ, ſive primi, maximique Philoſophi diſcipulos emicans, pande ſinus tuos roſeos Virgo perpetua; (a) diffunde rubentes foliorum tuorum calathos, ſeu purpurea labra; exere caput tuum flos de Spinis, ſed ſpinâ carens; (b) tranſcende demum vertices Philoſophorum omnium, ſpinis Adæ redundantium, ut te doctiſſimam illorum legamus Magiſtram, téque in ſæcula celebremus, quæ â ſæculis fuiſti celeberrimâ.

(a) *S. Auguſtin: in Virid: Mendoza:*

(b) *S. Victorinus.*

A ſæculis dixi, AA. nec immeritò. Si enim cogitationes noſtras ad prima illa tempora revocemus, unde reliqua uſque ad hæc noſtra, ſerie continuâ profluxerunt; inveniemus talem aliquando extitiſſe Philoſophum, quem ipſe mundi conditor in primam voluptatis ſedem collocans, ampliſſimum totiùs naturæ non tantum fecit principem, ſed & perſpicaciſſimum contemplatorem. Hic quàm divinâ, quàm multiplici, quàm variâ cognitione completum habuerit pectus, ex eo poteſt colligi, quòd

nactus

nactus sit animum, quem Deus desumptis â sua imagine lineamentis efformavit: quòd ipsam rerum omnium causam intuitus, cum eáque locutus sit: quòd aspexerit nascentis mundi principia, animadverterit progressiones, penetrârit naturam cœli, terræ, aëris, & aquarum; notaverit creaturarum quarundam æternitatem & constantiam, aliarum celeritatem & tarditatem; harum ortum & interitum, illarum transmutationem & vicissitudinem; harum causam & effectus, illarum motus & potentiam; harum pretia & excellentiam, illarum scoriam & vilitatem; nihil deniq; ignoraverit, cujus ignorantiâ fontium cristallis, verticibus montium, speciebus florum, fructibus arborum, animabus stirpium, luminibus siderum, bestijs aquarum, turmis avium, gregibus ferarum, flatibus ventorum ex vi sua, & naturæ proprietate aptissima nomina requiret impertire. Prô quantus Philosophus! quanta in uno homine vis ingenij ac Sapientiæ! quàm admi-

rabilis, quàm illuſtris in una mente ſcientiæ gloria? Viditne ſæculum aliquod inter ſapientiſſimos Chaldæos & Hebræos, Ægyptios & Phænices, Græcos & Romanos, Perſas & Arabes Adamo parem? Nunquid magnus fuit Noë, novus humani generis parens, & mortalium omnium conſervator, qui *doctos antea Theologiam & ſacros ritus, inſuper cepit erudire humanam Sapientiam, & multa naturalium rerum Secreta literis commendavit?*

(a) *Beroſus l. 3. antiquit.*

(a) Fuit; ſed primam Philoſophiæ lauream non eripuit Protoparenti. Nunquid magna fuit in Perſide Sybilla, Noë progenies, quæ de venturo mundi Redemptore, de ſuæ gentis origine, de orbis ortu quatuor ſupra viginti conſcripſit libros? (b) Fuit; ſed néque in certamen venit filia cum parente. Nunquid magnus fuit in Chaldæa Abraham, quem *rerum omnium peritum, eloquentem, & in conjectando ſagacem* Joſephus celebrat, (c) quémque ex primo fonte per Mathuſalem derivato, ſuas hauſiſſe ſcientias teſtantur Interpretes?

(b) *Petrus Perpin. orat. 18.*

(c) *Lib. 1. antiqui. c. 8.*

(a) Fuit;

(a) Fuit; ſed tamen fontem non exhauſit. Nunquid magnus fuit Abrahami nepos, & Iſraëliticæ gloriæ fulcrum, Jacob, qui naturæ cognitione adeo valuit, ut caprarum oviúmque partus modò unicolore, modò macularum varietate ſine tinctura & fuco potuerit expingere? (b) Fuit; ſed limitatæ ſcientiæ dedit argumentum. Nunquid magnus fuit in Ægypto Joſeph, qui ætate adoleſcens, domo externus, conditione ſervus, quod Philoſophiæ tunc eſſet princeps, principem in aula locum gratiæ favoríſque obtinuit? Fuit; Sed Adami magnitudini detraxit nihil. Nunquid magnus fuit orbis miraculum, Salomon, quem mortalium omnium ſapientiſſimũ illimitatè celebrare videtur Thaumaturgus Gregorius, & Abulenſium pontifex Toſtatus, (c) quémque *Sapientiæ laude ita præſtitiſſe omnibus cùm ſuæ tum ſuperioris memoriæ hominibus*, aſſeruit Nazianzenus, (d) ut eum *Sophiæ verticem* appellaret? Fuit; ſed nec Adami verticem exceſſit, nec ſapientiæ gloriam,

quâ

(a) *Pineda in Sal. prævio l.3. c.27.*

(b) *Gen. c.32.*

(c) *Toſt. p.11.*

(d) *S. Gr. Nazian. orat. 29. & 34.*

(a) *Theologi apud Pined. de rebus Sal: l. 3. c. 10. §. 12.*

quâ is refulserat, obscuravit. (a) Deus Immortalis? Ergo nullus est, qui primi hominis magnitudini certamen indicat? Ergone ad eam sublimitatem philosophici præstantia nominis Adamum extulit, ad quam nemo alius unquam est evectus? Bono animo, AA. Respondet pro me de clara valle clarissimus Encomiastes: *Scientia scientiarum Sanctarum, Maria: quia sicuti sol universa cæli lumina præcellit prærogativâ claritatis, sic ipsa totam rationalem creaturam (post filium) excellit splendore virtutis ac Scientiæ.* (b) Respondet pro me Albertus, magnus Ratisbonæ Præsul: *Perfectius, quàm Adam, quàm Joannes, quàm Paulus cognovit mysteria supernaturalia,* (c) ut de naturalibus non ausim dubitare. Respondet pro me Petrus Damianus: *Non excellentissimus Patriarcharum chorus, non providus Prophetarum numerus, non Judex Apostolorum Senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quispiam sequentium Patrum huic Beatissimæ Virgini poterit comparari, si perfectionum ejus plenitudinem mensuremus.* (d) Nam si

(b) *S. Bern. ser. 1. super Salve.*

(c) *Lib. de B. V. c. 96.*

(d) *S. P. Damian. ser. de Nat. B. V.*

si nobilissimam tam humanæ quàm divinæ Sapientiæ portionem quidam Adamo vendicant, quòd mortaliũ princeps non alijs modò rebus imperaturus esset; verùm etiam initium allaturus ijs, qui in omni perpetuitate successuri temporis imperarent: quanto magis attribui debet Patriarcharum Reginæ, cujus regnum ut nullo limite terminaret, sed imperio paterno æquipararet, ipse DEI filius Matri famulabatur in terra: *Et erat subditus illis?* Jactet jam infelix mortalium parens, se quia princeps fuit, & generis humani caput, ingentia humanæ Sapientiæ decora ex divinæ liberalitatis inexhausto fonte traxisse, illáque continuâ dein experientiâ pro orbis universi emolumento cumulasse; jactantiam confundet MARIA, quæ, quia Regina fuit humanæ naturæ,(a) Recuperatrix perditi orbis,(b) Reparatrix ipsius Adæ, (c) longè illustrioribus Philosophiæ cognitionibus fuit exornata. Jactent alij famosi vel fumosi Philosophi felicitatem

(a) *Andr. Cret. de Dormi. B. V.*
(b) *Bern. Busten. in Mariali.*
(c) *Serg. Hierosol. de Nat. B. V.*

tem differendi, promptitudinem difficultates enodandi, dexteritatem argumentis depugnandi, celeritatem latentes rerum causas eruendi: fastum ingeniíjque ostentationem comprimet Maria, quæ tantùm excessit omnes, quantùm sol radios, aurum scoriam, flos spinas; quia sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, (a) hoc est, ut quorundam Patrum judicia referam, inter pungentes disputantium, ac malè philosophantium aculeos constituta, quasi inter spinas, quàm inter rosas pulchrior triumphavit.

In Dialectica quidem, quæ densissimis dumetis horret, quámque hominum ad divinam Sapientiam manuductricem Clemens, (b) Disciplinarum disciplinam Augustinus, (c) earundem apicem Plato (d) nuncupârunt, eximiè prominuisse, illo concludenius argumento, quod ad intelligendos sacrarum litterarum sensus sit perquam necessaria. Nam si alteri, hoc est, Romano credimus Clementi, (e) divinæ illæ paginæ, Spi-

(a) *Cantic. c. 2.*

(b) *Clem. Alexand. apud Mendoz. in Virid.*
(c) *S. Aug. contra Academ. l. 5.*
(d) *Lib. 2. de Rep.*

(e) *1. Constit: c. 6.*

Spiritûs Sancti calamo exaratæ, abundant argumentationum varietate, constant illationum certitudine, lucent definitionum claritate, scatent dubijs terminorum & sensuum; quæ omnia subtiliter inventa, providè disposita, concinnè pronuntiata â Scripturæ professoribus decantantur; nec sine insigni Dialecticæ peritia facilè penetrantur. Quis autem sine perversæ voluntatis nota credat, sedulam illam, ac prudentissimam apem, MARIAM, in lectione Scripturarum assiduam collocasse operam, nec tamen Sacrorum voluminum veritatem dispexisse? Quis nescit

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
& collectum de floribus succum in liquorem suum suavisimè digerunt, sic studiosissimam Virginem, ex Sacrorum oraculorum, quasi florum quibusdam areolis, copiosam Spiritûs dulcedinem suxisse, atque in succum proprium traduxisse? Insipiam, si credo, Deiparentem ignorâsse optimas disceptandi, ratiocinandique

 nandique

nandíque formas, quæ Propheta-
rum ratiocinia quotidianâ medita-
tione cognoverat. (a) Erubescam,
si mentior, omnem speculandi vim
posuisse in unum Nomen & Verbum,
ex quibus orationem ac enuntiatio-
nem formant Philosophi, (b) quando
& Verbum ulnis mentéque comple-
xa est, & Nomen, quod est super
omne nomen in germana significa-
tione accepit, in qua JESVS non
minùs esset *Salvator*, quàm Abraham
Pater multitudinis, Isaac *risus*, Joseph *aug-
mentum*, Aron *docens*, Moyses *assumptus*,
David *dilectus*. Stupescam, si non as-
sentior, illam perfectè novisse natu-
ram *Prædicabilium* & *Prædicamentorum*,
quæ nihil magis prædicavit â *Specie*,
quam Speciosum formâ præ filijs ho-
minum; quæ *Genus*, aut generis cla-
ritatem tanti duxit, ut se ancillam
diceret; quæ inter esurientes & di-
vites, siquando maternis visceribus
essent vel excipiendi, vel fovendi,
nullam faciebat *Differentiam*; quæ *Ac-
cidentia* nunquam penetravit acutius,
quàm dum *Substantiam* carnis Filij sui
in

(a) *Origenes hom. 6. in Lucam.*

(b) *Arist. lib. de Interpret.*

in Evchariſtico Sumebat epulo; cui *Proprium* ille fuit, qui in propria venit; cui deníque *Individuum* unus Deus erat, cum quo non tantùm divinæ maternitatis *Relatione*, verùm etiam ardentiſſimo, ac continuo amoris æſtu ita fuit unita, ut néque *Paſſio*, néque *Actio*, néque æternitatis *duratio*, néque *Situs* altitudinis, aut prōfunditatis, eam potuerint ſeparare â charitate. Nihil dico de tertia mentis humanæ operatione, ſeu diſcurſu, quem Dialectica ſuas ad leges rite ſolet ordinare; Satis enim ſupérque conſtat, quòd illâ, quanta, ac qualis fuit ab æterno ordinata, ea dederit optimorum diſcurſuum ſpecimina, ut ipſius Spiritûs Sancti oraculo celebraretur: *MARIA conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* (a) Tunc nimirum, quando nocte media natus eſt *Sol Juſtitiæ*, & lux in tenebris luxit; quando *flos odorem fidei toto ſparſurus orbe ex ejus Virginali utero germinavit*; (b) quando in Bethlehemitico exeſæ rupis antro parvulum in præſepi reclinavit;

(a) *Luc. 2. v. 19.*

(b) *S. Amb. de benedict. Patriarch. c. 4.*

quando belluæ adorabundo anhelitûs afflatu rigorem auræ mitigabant; quando cæleſtium epheborum multitudo concentu replebant aëra, & agreſtes ab arvis animæ, potentes ab oriente Reges in venerationem procurrebant. Tunc tunc Dialecticæ peritiſſima revocabat cogitationes ſuas, ad evidentes illas, quas ſæpius ruminârat, Sacrorum Vatum *præmiſſas*: *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis*: (a) *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*: (b) *Et tu Bethlehem . . . ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſraël*: (c) *Et, tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion, uſque ad te veniet*: (d) *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* (e) Ex quibus omnibus ſuperiores conſequentias evidenter deduxerit, ſe ſéque excellentiſſimam Magiſtram, imò, ut aureo loquar ore (f) *Paradiſum rationalem* comprobârit. Et quia non ſatis habuit *Roſa Myſtica* inter rationalis Philoſophiæ ſpinas eminuiſſe, niſi etiam Phyſicæ ſcientiæ vitâ vegetaretur amplius, naturæ myſte-

ria

(a) *Iſai*. c. 9.
(b) *Iſai*. c. 11. v. 1.
(c) *Mich*. c. 5. v. 2.
(d) *Ibid*. c. 4. v. 8.
(e) *Iſai*. c. 60.
(f) *S. Chryſoſt*. orat. de *Annun. B. V.*

ria ſcrutata dulciſſimas inde referebat cognitiones, quibus non tantùm diſcipulos ſuos, ſed omnes inſuper mortales ad rariſſimas & pulcherrimas eruditiones poterat animare. Cui enim dubium foret, illam ſæpius, ſi ferret occaſio, mente indagatrice diſcuſſiſſe matrem omnium terram, & rerum ex ea natarum conſiderâſſe diverſas formas, cauſas, effectus, & virtutes? Vererer profectò, nè, ſi aliud vel animis agitemus, vel oribus proferamus, vel calamis evolvendæ retro ætati conſignemus, ſimul prodamus corda, tenerioribus in Mariam affectibus vacua, formidine plena, & prudenti audendi licentiâ deſtituta. Quare non frigidus affectu, non trepidus mente, non deſtitutus audendi prudentiâ, ex prudenter ſentientium authoritate pronuntio, Sanctiſſimam Deiparentem occaſiones libenter arripuiſſe, modò in intimas auri, argentique venas ſe ſe immittendi, ut admirandam remotiſſimi ſolis, aliarumque cauſarum virtutem animadverteret; modò

aquarum fontiúmque miracula penetrandi, ut ibi ignito vapore æstuantium, hîc glaciali frigore horrescentium redderet rationem; modò in vastissimos oceanos cogitationes suas immergendi, ut, in quo succubuit Aristoteles, eorundem incrementa & decrementa, cursus & recursus, quos ad lunæ vicissitudines solent alternare, adspectaret; modò flantes â quatuor orbis partibus ventos examinandi, ut, ubi mortalium caligant ingenia, vincique se fatentur, eorum origenem & naturam, humiditatem Africi, Siccitatem Cori, nives Aquilonis, æstum Austri, tepiditatem Favonij explicaret. Ex harum enim, & aliarum creaturarum cognitione plerumque solet humana mens abripi in admirationem, & quibusdam quasi pennis se se librare in Sapientissimum earum architectum, illúmque suspicere ac adorare. Quis autem ex toto piorum mortalium cœtu dabitur, qui sentiat, his pennis caruisse volucrem Mariæ animam; cùm sanctissimis cæteroquin

teroquin animabus â Deo concedantur, quò celerius ex amplo rerum creatarum theatro se possint elevare, & colliquescentibus uberrima dulcedine sensibus, divinarum perfectionum excellentias contemplari? Quis credat eam ignorâsse hunc *Modum*, Deo se affigiendi, quæ tam diversos â prima statim ætate speculata est *modos*, non tantùm ab alijs creaturis, sed etiam â se ipsa emigrandi, atque in Deum, quo nihil sibi voluit esse præsentius, velocissimè abeundi? Et si teste Doctore gentium (a) invisibilia per ea, quæ facta sunt, intelliguntur, quomodo non præ cunctis Philosophis res naturales perfectissimis cognitionibus penetrâsset, quæ acutissimâ subtilissimáque intelligendi vi liberaliter fuit exornata? Si autem perfectissimè penetravit, quis ambigat, eam copiosas laudum divinarum materias concinnâsse, quas nullius eloquentiæ copia, nullius ingenij felicitas, nullius dicendi vehementia potuit; sed sola oratorum princeps Maria ideo explicare con-

(a) *Ad Rom. c. 1. v. 20.*

suevit, ut explicando in liquidissimæ voluptatis abiret affectus, abeundo in diviniores rueret amplexus, ibiq; æternæ Sapientiæ amantissimè colluderet, cum qua se pridem oblectârat, *ludens in orbe terrarum?* Utinam! utinam AA. licuisset aliquando abditissima Mariani cordis penetralia intueri, quando sive in itinere, sive domi, sive alibi, subjectæ telluris faciem modestissimis lustrabat oculis! Vidissemus profectò, quàm facilè, quámque profundè ex camporum latitudine, vallium planitie, montium altitudine, orarum excursu, collium acclivitate, sylvarum recessu, aëris amplitudine in Supremi Numinis immensitatem se immerserit; vidissemus, quàm dulciter ex florum amænitate, foliorum virore, colorum diversitate, odorum expiratione, fructuum sapore, omnique ridentis naturæ ornatu omnigenam Dei pulchritudinem suspexerit; vidissemus, quàm magnificè ex rotundato in orbem cœlo, ex siderum pulchro ordine lucentium aspectu, ex immota

&

& tamen pendula in aëre terra, ex animalium tum terræ, tum maris, tum aëris mirabili genere ac utilitate; ex nutrice agrorum, hortorúmque fæcunditate, Authoris providentiam, omnipotentiam, & bonitatem adorârit; vidissemus, quàm suavi, & devoto sensu inspexerit illam discordem concordiam, quâ in rerum universitate, calida frigidis, gravia levibus, arida humidis, maxima minimis, solida liquidis, firma mobilibus inter se aptissimè conjunguntur; vidissemus denique, quàm pulchris ac evidentibus rationibus illa omnia contulerit in corde suo, clarissiméq; probârit, se omnium Philosophorum scientias superare.

Illud fortasse in dubium vocari posset, an Magistra nostra libros de generatione inspexerit, adeoque ex hac parte non aliquem naturalis scientiæ defectum passa sit; cùm castissimam Virginem non videatur decuisse cogitationes suas eò deflectere. Verùm huic dubio facilè occurret, qui noverit ex Christianorum tem-

porum historico, illam juvisse componere *Librum generationis*, quando de ea *natus est Jesus, qui vocatur Christus.*

Advertite hîc prodigia AA. Virgo vestijt carne Verbum sine Patre, Pater generat filium sine matre: qualis generatio! Natus est de illa Deus, & Deus esse non desijt; genuit Virgo Deum, & virginitatem non amisit: qualis generatio! Filius patris generatur ab æterno, & ante omnia; filius Matris generatur in tempore, & ferè post omnia; qualis generatio! Et tamen *generationem ejus quis enarrabit*, (a) nisi Maria, quæ *vidit, & experta est, se concepisse non opere humano, & se peperisse parvulum cum virginitatis honore.* (b)

(a) *Isa. c.53.*

(b) *S. Antonin. 4. p. lit. 15. c. 17.* §. 1.

Præterea si ex Patrum quorundam sensu censendum est, ut paulò post censebo, illam perfectè comentari potuisse divinas litteras, quas tam sedula lectione volvebat; quis nostrûm ambiget de ingeniosis ejusdem commentarijs super illud Ecclesiastæ: (c) *Generatio præterit & generatio advenit?* Ut hinc quoque argui vel

(c) *Eccl. c. 1. v. 3.*

inferri

inferri possit, libros de Ortu & Interitu, qui post octo Physicorum explanari solent, illi fuisse perspectissimos, cùm nôsset creaturas omnes alternæ subesse vicissitudini, eo solùm excepto, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* (a)

(a) *Iacobi* 1. *v.* 17.

Sed & reliquas Philosophiæ lites, ac tricas extricari potuisse â Maria, facilè mihi persvadeo, quod sciam, gravissimarum difficultatum nodos, quos subtilium ingeniorum contentio convoluit, felicissimè dissolvisse. An non enim in facie totius universitatis ad oculum demonstravit, *Infinitum* actu dari in creatis, quando *Infinitus* finitis membrorum articulis constrictus, inter mortales comparuit? An non in *Continuo* Dilecti sui amore terminantia puncta negavit, quando non tot exæstuantis pectoris flammas protrusit, quin plures semper addiderit? An non verissimè ostendit *Animam* esse *actum corporis organici*, dum animâ suâ, velut vivo quodam & animato organo, â Spiritu Sancto ad virtutum modulos pulsato,

pulsato ; membrorum omnium motus plus quàm Pythagoricâ harmoniâ animavit? An non *Conceptum vitæ* dedit nobilissimum, quando virgineo concepit utero, divinum Verbum, quo in deflendam projecta mortem vniversa mortalitas revixit? An non deníque Metaphysicam ingressa, & â rebus sub sensum cadentibus abstracta, *Passiones Entis* profundissimè speculata est, quando in consideratione universorum nulla *Res* ei visa est aliquid, nisi Ens illud, quod ita semper propugnavit *Vnum*, ut tamen etiam admitteret Trinum; ita dilexit *Bonum*, ut voluntate pronissima in liquidissimas mergeretur dulcedines; ita cognovit *Verum*, ut in illud toto intellectu absorberetur. O verè in signem naturæ indagatricem! O vim intellectûs incredibilem. O perspicacem ingenij felicissimi aciem! O nunquam satis deprædicandam Philosophiæ Magistram! O profusam in Matrem suam Supremi Numinis liberalitatem.

Agite

Agite ergo, agite mundi melioris Philoſophi, & hanc Magiſtram veſtram ſuſpicite, honorate, celebrate. Suſpicite oculis, & videbitis *Multoculam*, (a) quæ non uno, ſed mille mentis oculis abdita naturæ toties inſpexit; honorate obſequijs, & tantæ Magiſtræ beneficijs, quoniam aliter non poteſtis, reſpondebitis; celebrate præconijs, & ad veſtram quóque commendationem illuſtrem facietis acceſſionem. Arbitror enim, ſi ingenioſis commentationibus domi, foris linguâ, in pulpito calamis, in ſchola argumentis ſublimem in Maria rerum naturalium ſcientiam extuleritis, quoniam eadem in vobis, tanquã in ſpeculo recepta, non obſcuros rejicit radios, copioſè quóque reflexuram in veſtram laudem, commendationem, honorem, admirationem.

(a) *S.* Epiph. *de laud. B.V.*

Vos verò Adoleſcentes optimi, qui ſapientiam in monte adhuc arduo, ſed laboribus pervio, collocatam cernitis, ſimúlque ambitis; adeſte animis, propellite impetus,

acuite

acuite ſtudium, duratę operam; & ſiquid ingenij, ſiquid felicitatis â natura vobis collatum eſt, ſub hac Magiſtra liberaliter elocate. Hac duce calcabitis, quidquid horridum, atque infeſtum in ipſo Sapientiæ aditu vobis occurrerit; hac Magiſtrâ non palpabitis in tenebris, quia eſt *Lumen Studioſorum*; (a) hac præeunte venietis quàm citiſſimè è ſpinis ad roſas, è vepribus ad delicias, è felle ad mella, è tribulis ad amæniſſimos fructus, quos de laboribus vos percepiſſe gaudebitis, quando impolita ſingulorum mens, Dialecticæ inſtitutionibus formata, in *diviſione* ad diſtingvendas formas ſolers; in *definitione* ad explicandas naturas facilis; in *argumentatione* ad vibrandas rationes efficax; in diſcurſibus formandis ſolida, in ſcrutandis rerum latebris ſagax; in omni deníque Philoſophiæ difficultate ſolvenda erit expedita. Gaudebitis poſt ſubacta ignorantiæ monſtra de inſigni victoria; & ex ſtudiorum conatu, ex conatûs ſudore, ex ſudoris con-

(a) *S. Ephrem. de laud. MARIÆ.*

ſtantia

ſtantia facietis ſolatia vobis, Magiſtræ, amicis, parentibus, bonis omnibus, patriæ univerſæ. Vnum commoneo, quod ipſa quóque â vobis petit Magiſtra, & jure quodam afflagitat, ut Mariani nominis memores, non uni tantùm intenti ſtudio, pulchro inſuper virtutum pietatísque genere rerum magnarum ſcientiam exornetis; quo ſine, nihil ſive ad vitæ ornamentum pulchrum, ſive ad commendationem celebre, ſive ad patriæ utilitatem ſalubre poteſt comparari. Quare ſi meo ſtatis conſilio, libenter omnino ſuaſero, ut in eruditis Sapientiæ certaminibus Eduardi Sexti, Britanniæ Regis, clypeo vos obarmetis, in cujus pectore referebatur orbis, inter ipſas nubes pendulus cum lemmate: *Nil ſine DEO.* Tunc enim futurum promitto, ut quàm primum in Antiquiſſima & Celeberrima totius orbis Vniverſitate Mariana, Supremâ Philoſophiæ laureâ coronemini. Dixi.

PRÆ-

PRÆCONIUM.

TRanseamus nunc ad alteram Philosophiæ partem, quam Moralem vocant, in qua totius Philosophiæ ratio continetur. Siquidem in Physica sola oblectatio est; in hac etiam utilitas. Et quoniam in disponendo vitæ statu, formandisque moribus, periculo majore peccatur, majorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus, quomodo nos oporteat vivere. Lactantius 3. Instit. c. 7.

ORATIO VI.

MARIA, practicâ de moribus scientiâ, instar Paradisi, amœnissima, ideóque Magistra Ethices.

Inter

INter innumera magnæ Matris elogia, quæ vel Rhetorum facũdiâ hactenus sunt vulgata, vel illustrium Scriptorum calamis signata, vel Sanctissimorum Patrum prædicationibus testata, vel Sacrosanctæ Ecclesiæ authoritate suffulta, vel gentium omnium consensione stabilita & defensa; illud quoque animo meo arrisit semper, quo illam Jacobus (a) & Proclus, (b) Gregorius (c) & Hesychius, (d) Ephrem (e) & Andreas Hierosolymitanus, (f) Damascenus (g) & Bernardus, (h) Bonaventura (i) & Rupertus, (k) secundum orbis recreati paradisum celebrârunt; & novo quodam gaudio omnium nostrûm lacrymas, quas in nunquam satis deploranda primævæ beatitatis jactura profudimus, temperârunt. Enim verò quoties infelix ego (O! quàm offendit memoriam recordatio perditorum!) quoties, inquam, infelix ego Adæ filius in amænissimam stationem illam, ex qua ob gulosam perduellionem ejecti sumus, memorem reflecto mentem, simúlq;

(a) *S. Iac. in Liturg.*
(b *In Conc: habita in Concil: Ephes.*
(c) *Orat. 2. & 3. de Annunt.*
(d) *Orat. 2. de S. Deip.*
(e) *Orat. de laud. Mariæ.*
(f) *Orat. de Annunt.*
(g) *Serm. 2. de Dorm. B. V.*
(h) *Serm. de Nat. B V.*
(i) *S. Bonav. Specul. B.V. c. 12.*
(k) *Rup. in cantica.*

Augustissimæ Dei-parentis sinceras solidásque contemplor delicias, toties quidem ingentis copiam felicitatis ibi me perdidisse ingemisco, amabili tamen cum fœnore hîc repeamabili tamen cum fœnore hîc repe rîsse gaudeo, ac obstupesco. Memini siquidem, illum ad orientem positum, adeoque nubium ac nebularum expertem, prima illibati solis excepisse oscula, & amænam sinceræ lucis hilaritatem præ se tulisse continuò: (a) sed & recordor, istum primis exceptum osculis â Sole Justitiæ, qui, ut visitaret nos oriens ex alto, nocte media, ante Luciferum, ex utero Virginis prodijt, eámque comptissimis radijs perfudit. Scio, illum nullis ventorum turbinibus pervium, nulli aëris inclementiæ obnoxium, nulli malignioris astri dominatui subditum, suavissimam auræ temperiem quaquaversum diffudisse: sed & intelligo, istum copiosas cœlestis ubertatis influentias, blandissimos divinæ auræ favores, amabiles gratiarum Favonios undique expirâsse. Concipio in illo agrorum opulentiam, flo-

(a) S. Basil. orat. de paradiso.

rum

rum delicias, fructuum dulcedines, aromatum fragrantias, vinearum florulentiam, & quidquid vel auditui jucundum, vel gustui suave, vel visui peramænum liberaliter exhibitum esse: Sed & invenio in isto *Florem* florum, quo delectet; *Fructum* fructuum, quo sapiat; *Odorem* odorum, quo pertrahat; *Arborem vitæ*, quâ redanimet, productum feliciter. Suspicio illum in loco altissimo, atque in ipsis montium verticibus, sub vicino Lunæ aspectu consitum, (a) hortenses divitias, & subjectæ telluris amænitates despexisse universas: sed & veneror fundamenta istius in montibus sanctis, in quibus, tanquam in altissima perfectionis specula divini Solis ardores pleno excepit pectore. Admitto in illo diversa animantia, dentibus horrida, unguibus effera, toxico turgida, ad nutum Domini sui hostilitatem nullam, contumaciam nullam prodidisse unquam: Sed & arguo in isto aureum pacis fluxisse sæculum, â quo in eum *Princeps pacis* est

(a) *Theophil. Patriarcha Antioch. in Genesim.*

ingressus. Fateor denique, illum quadripartito amne terras ad omnem fertilitatem irrigasse, aquisque bellè cadentibus suavissimos excivisse Susurros: sed & profiteor, in isto, præter sororiantes lactei liquoris fontes, quos in castissimo Virginis pectore scaturire jussit Divinitas, quadruplices alios emanasse fluvios, quorum ubere diffusione multiplicem fecerat ubertatem. Ut immeritò quis lugere videatur, floridum illum protoparentum nostrorum paradisum ad exæstuantem gustandi fructûs libidinem defloruisse, quando longè formosior, & gratiarum abundantiâ præstantior nobis refloruit: & iniquus sit rerum æstimator, qui mortalem immortali, immarcessibilem caduco, corruptum virgineo, humanum divino conferat, & anteponat.

Verùm quid ista in meam sententiam? Quid scientiarum palæstræ cum hortensibus delicijs? Quid severiori disciplinæ cum blanda reflorescentium amænitatum illecebra? Quid Ethicæ cum paradiso? An unde

unde formosissima Divinæ Majestatis Tempe, ac paradisus evasit MARIA; inde politioris litteraturæ, ac universalis Ethicæ Magistra evadet? Omnino evadet. Si enim verum est, ut ex SS. Patrum oraculis censeri potest verissimum, rerum omnium conditorem Deum pro veteri novum condidisse voluptatis hortum, in quem post evoluta diuturni squaloris tempora descenderet, cum filijs hominum deliciaturus: & si paria vel consimilia in eum congerens ornamenta, *signatum* quoque ab æterno *fontem*, insigni postea ubertate scaturientem, quadripartivit; hic autem fontis quaternio, Magno teste Gregorio alijsque, ipsissimus est moralium virtutum & numerus & cardo: non incongruè demum conclusero, in Deiparente illimes moralis scientiæ thesauros copiosè scaturijsse, indéque in regna & imperia profluentes, reges Prudentiâ, Magistratus Justitiâ, cives Fortitudine, plebem Temperantiâ fæcundissimè irrigâsse. Quam veritatem dum exili dicendi

facundiâ in aures insinuo, ita velim in animos vestros illabi AA. HH. ut ad reliquum Marianarum laudum cumulum mecum decernatis, absolutissimam Ethicæ Magistram fuisse MARIAM.

Quemadmodum ab unius Ethicæ spiritu in omnium sive Rerumpub. membra, sive regnorum nervos animalis quidam vigor, ad omne felicitatis augmentum emanat; ita vicissim in eam infallibiles dirigendi regulas â *Prudentia*; solidas stabiliendi artes â *Fortitudine*; diversas puniendi, præmiandique rationes â *Justitia*; ordinatas imperandi obediendique leges â *Temperantia* promanare, ijsdémque animari ad vitam, jam pridem cum Tolosano Gregorio censuerunt Sapientes. Ut insipiens videri possit, qui ad omnem honestatem, rectique regulam cuperet vivere; harum tamen quatuor virtutum elementa renueret admittere! vel insipiente sit hebetior, qui moralis Sapientiæ Doctor per Academiarum pulpita vellet circumvehi, morúmque normas

per

per aphorismos dictare; hac autem quadrigâ uti nollet, aut promoveri. Tanto nimirum Magister Ethicæ est præstantior, quanto copiosiores ab his virtutibus trahit influxus, quibus discipulos suos, sive reges sint, aut principes, domini aut servi, plebs aut Magistratus, suavissimâ irrigatione possit fæcundare.

Agnosco hunc humanæ Sapientiæ articulum, & vel ideo non tantùm ambabus, ut ajunt, ulnis eum amplector; sed & liquidissimæ voluptatis sensu excipio, deosculor, atque adoro. Video enim, hoc argumento Deiparentem eam demum futuram Magistram, quàm non solùm Platones & Aristoteles, Xenophontes & Taciti, Lysiæ & Isocrates, Agryppæ & Lycurgi; verùm omnes omnino moralium institutionum Doctores suspiciant, & venerentur. Dicite enim, amabo, si Oratori (a) argumentum prudentiæ est, *de bonis ac malis, quæ ad felicitatem pertinent, bene consulere;* Si Philosopho (b) & Philosophorum Angelo (c) *rectam agibilium rationem*

(a) *Cicero 2. Rhet.*

(b) *Aristoteles 6. Ethic. c. 4.*

(c) *D. Thom. 22. q. 47. art. 5.*

facundiâ in aures insinuo, ita velim in animos vestros illabi AA. HH. ut ad reliquum Marianarum laudum cumulum mecum decernatis, absolutissimam Ethicæ Magistram fuisse MARIAM.

Quemadmodum ab unius Ethicæ spiritu in omnium sive Rerumpub. membra, sive regnorum nervos animalis quidam vigor, ad omne felicitatis augmentum emanat; ita vicissim in eam infallibiles dirigendi regulas â *Prudentia*; solidas stabiliendi artes â *Fortitudine*; diversas puniendi, præmiandique rationes â *Justitia*; ordinatas imperandi obediendique leges â *Temperantia* promanare, ijsdémque animari ad vitam, jam pridem cum Tolósano Gregorio censuerunt Sapientes. Ut insipiens videri possit, qui ad omnem honestatem, rectique regulam cuperet vivere; harum tamen quatuor virtutum elementa renueret admittere! vel insipiente sit hebetior, qui moralis Sapientiæ Doctor per Academiarum pulpita vellet circumvehi, morúmque normas

per

per aphorismos dictare; hac autem quadrigâ uti nollet, aut promoveri. Tanto nimirum Magister Ethicæ est præstantior, quanto copiosiores ab his virtutibus trahit influxus, quibus discipulos suos, sive reges sint, aut principes, domini aut servi, plebs aut Magistratus, suavissimâ irrigatione possit fæcundare.

Agnosco hunc humanæ Sapientiæ articulum, & vel ideo non tantùm ambabus, ut ajunt, ulnis eum amplector; sed & liquidissimæ voluptatis sensu excipio, deosculor, atque adoro. Video enim, hoc argumento Deiparentem eam demum futuram Magistram; quàm non solùm Platones & Aristoteles, Xenophontes & Taciti, Lysiæ & Isocrates, Agryppæ & Lycurgi; verùm omnes omnino moralium institutionum Doctores suspiciant, & venerentur. Dicite enim, amabo, si Oratori (a) argumentum prudentiæ est, *de bonis ac malis, quæ ad felicitatem pertinent, bene consulere;* Si Philosopho (b) & Philosophorum Angelo (c) *rectam agibilium rationem*

(a) *Cicero 2. Rhet.*

(b) *Aristoteles 6. Ethic. c. 4.*

(c) *D. Thom. 22. q. 47. art. 5.*

tionem tenere; an non ab hac virtute præ cæteris mereatur commendari MARIA, ut quæ tot gessit prudentiæ fœtus, quot habuit cogitationes; tot peperit ejusdem filias, quot edidit actiones; tot fecit felicitatis auctaria, quot agentibus dedit consilia?

Ingressus ad eam Angelus, optatissimus ille restaurandæ salutis nuntius, inter humanissimæ salutationis verba enuntiabat gratiæ plenitudinem; gratulabatur gratiosam Numinis in ea habitantis præsentiam, & in Divinitatis Sacrario *Benedictam* prono venerabatur poplite: illa tamen, quod prudentioribus hujus sæculi filijs nimis paradoxum est, nec laudibus efferri, nec lætitiâ gestire, nec responso præcipitare, nec trepidatione collabi visa, cum â pulcherrimo juvene deprehenderetur sola, nativâ verecundiæ purpurâ vultum illico contexit, & prudentiâ colligente animum, *cogitabat, qualis esset ista salutatio.* (a) Sapientis nimirum est, movere linguam ad imperium rationis; erumpere in verba post limam discretionis;

(a) Luc. c. 1.

ſcretionis; formare geſtus ad regulam moderationis. Repentini rerum caſus hominibus prudentiâ præditis, diſtrahere mentem ſolent, non eripere. Negotij magnitudo, aut novitas, conſilium non aufert, ſed acuit. Oraculorum naturam induunt, reſponſa, quæ prævia mediatione, digeruntur. Tacente igitur Virgine, urget muneris impoſiti partes Angelus, & duabus illis voculis *Concipies* ac *paries* eam defert dignitatem, quâ coronatos omnium regum reginarúmque vertices erat tranſcenſura. Sed & illa prudentiæ partem omittit, nullam. Dum enim illud æterni Patris corculum, illud deſiderium æternorum collium, DEI *Verbum* in ſinum ejus ingeritur; Sacrâ quâdam reverentiâ trepidat illa, & nè fortè humanæ ambitionis titillatio deliberationem prævertat, dignitatem ancillaris conditio attaminet, majeſtas tanta juratæ pietati repugnet; ſuſtinet, ruminat, ponderat, providet, tandémque pulchrâ indagine diſquirit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam*

virum non cognosco? An in brachio suo facturus est potentiam DEUS, ut virgo sim & mater? Ita est, inquit ille, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quis sensus, quæ religio, quæ submissio, quis sacer horror pectus virgineum tunc occupavit? quos motus affectúsve tantæ verborum blanditiæ, favorum nuntia, promissorum illicia, Incarnationis media, denuo conciverunt? An ita tamen hæc affectuum varietas distinuerit deliberantis Virginis voluntatem, ut minus apta fuerit ad exequendum munus, quo Sapientissimum Legatum Sapienter expedire oportebat, & desideratā tam Augustæ legationi coronidem imponere? Horret animus sic cogitare. Quo ergo decernentis animi suffragio, Cælestis Legati orationem, humani generis suspiria, & vota, ipsiúsque supremæ curiæ exspectationem coronavit? Responsum vultis? Audite oraculum. Dum præcelsus Matris Dei defertur titulus, reponit ista: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* O verba!

O syllabæ! O litteræ! Supra ambrosiam ambrosiæ, supra sapientiam sapidæ, supra concentum sonantiores! Dicite iterum, vos obsecro, quicúnque vel intelligendi vi perspicaces, vel cogitandi maturitate profundi tumetis in consilia, & responsa vestra limatis in oracula; potúitne vel in Thebanis curijs, vel in Sibyllarum Sacrarijs, vel in Athenarum Areopagis, vel in quocúnque demum selectissimo Sapientum Senatu, etiam post tædiosas deliberantium moras, in simili negotio responsum cudi prudentius, aptius, gratiosius? Dixistis non potuit. Et bene. A limpido prudentiæ fonte non possunt derivari nisi aquæ limpidæ, ab aquis argenteis non nisi guttæ argenteæ. Advertite autem, quæ illus Prudentiæ fuerint scaturigines:

Quanto altius atttolleris, tanto profundius te abijce. Nulla dignitas secura est, quæ humilitate non scanditur. Favores principũ, plausus populi, gloria nominis, honorum tituli fulgetra sunt, vel evanida Somnian-

tium

tium phantaſmata, ſi divinæ voluntatis annutu non innitantur. Illa continuò ſolida ſunt, quæ ſecundùm ſupernæ virtutis verbũ fiunt, & conformantur. Si munere donaris illuſtri, ut gratus ſis, fac, ſuo ſplendore tuos reflectat oculos ad propriæ vilitatis contemplationem. Digna largitori penditur gratiarum actio, ſi doni magnitudo ita æſtimetur, ut accipiens illo ſe indignum reputet. Sæpe qui ante muneris appetitum eo dignus eſt, indignum ſe exhibet appetendo. Feliciores plerúmque ſunt oblati hymenæi, qui ſine ſenſu gloriæ, ſine appetitu honoris, ſine exceſſu cupiditatis admittuntur.

His veritatis margaritis cum abundaret fons noſter, non potuit non eas, ad exornandas actiones ſuas, quaſi in ripas egerere, atque in poſterorum animis admirationem inprimis, deinde ſanctam quandam avaritiam proritare. Obſtupeſcunt nunc purioris Sapientiæ inſtitores, dum eas legunt; & ſi quando ad fæcundam earum matricem mentem advertunt, attoniti hærēt aliqui, aliqui meditata in laudem verba ſolicitè

tè congerũt, quibus ipsam Virginem Matrem, seu originem, compellent augustiùs. Agmen ducunt cum Bernardo Ambrosius, cum Epiphanio Ephrem, cum Richardo Damascenus, cum Bonaventura Ildephonsus, qui eam vel *oculatissimam* Virginem, vel inter virgines prudentem, vel inter prudentes principem, vel inter principes prudentissimam, sagacissimámque Reginam deprædicant, quòd talem esse decuerit, quæ & callidissimi serpentis caput calcaneo suo erat contritura, & orbis utriúsque imperium obtentura, & absolutissimum archetypon eorum futura, quos ipsa suis sive doctrinis, sive exemplis adeo animavit, ut gloriari possit: *Per me reges regnant.* (a)

Atque hic est primus ille ac illimis fons, seu fluvius, qui amæna sui in omnes actiones diffusione paradisum nostrum ita inerrabat, ut tamen agendorum errorem omnem procul inde excluderet. Sed non minori amænitate fluebat alter, qui vel primis degustatus labris animo robur,

(a) Prov. c. 8.

robur, corpori vires indebat, *Fortitudo.* Hujus aquæ â primis Marianæ vitæ ſpatijs in longam annorum devexitatem adeo defluxerunt conſtanter & fortiter, ut nihil arduum, nihil durum, nihil amarum, nihil grande illos potuerit ſiſtere, aut perturbare. Illius fluxus ipſos adverſitatum ſcopulos flagellabant aſſiduè; illius guttæ objectos perſecutionum lapides excavabant profundè; illius ſtillæ acerbam lacrymarum ſalſedinem temperabant dulciter; illius torrens totum *amarum mare*, ſive MARIAM, (a) cujus amaritudo ex Filij ſui morte ac vita fuit amariſſima, uberrimè dulcorabat. Nimirum virtutis hujus hæc eſt indoles, ut quas mentes divite ſui perfuſione permeat, eaſdem non tenuiore dulcedine perfundat eo etiam tempore, quo vel oblatæ vel quæſitæ acerbitates Sanctâ quadam aviditate exorbentur. O quàm avidam, quàm ſitibundam, quàm avaram, ideóque fortem, neceſſe eſt fuiſſe Mariam, in quam omnia dolorum flumina,

(a) *S. Hieron. lib. de nom. hebr.*

flumina, quibus Dilectus ejus Filius mergebatur, pleno currebant impetu, *amaro* tamen *Mari* non reluctante, sed absorbente! Difficilis professò veritas hæc foret intellectui, nisi probè constaret, quia *Spiritus Domini*, sive Fortitudinis, *ferebatur super aquas* (a) seu Mariam. Et quis de soliditate Virginis dubitet, quæ fugientibus, vel ruentibus Apostolicis Ecclesiæ columnis, ad huc *Stabat juxta crucem*; (b) quæque inconstantiâ & mutabilitate omni fuit superior, quia *Luna sub pedibus ejus*? (c) Credimus proinde, ac pronissimâ judicij subjectione profitemur, fortissimam fuisse Virginem, qualem priora Sæcula non habuerunt unquam, futura non videbunt. Fuerit enim aliquando, nescio quæ, nominari non digna, muliebri astutiâ non virtute fortis, quæ monstrum illud fortitudinis Samsonem, pretio venditum, blanditijs lassatum, crinibus enervatum Philistinorum conclusit carcere; Maria certè *in uno crine colli sui*, sive in una profundissimæ

(a) *Gen. c. 1.*

(b) *Ioan. c. 19.*

(c) *Apocal. c. 12.*

ab-

abjectionis cogitatione, *Virum virorum*, DEUM, ita sauciavit, ut eum ex amoris vulnere quasi elanguidum è cælo in terras pertraxerit, visceribus illigârit, & in virginalem uterum, velut in carcerem compegerit, illud demum testata: *Fæmina circumdabit virum.* (a) Fuerit veræ fortitudinis laude celebris Solymorum gloria Judith, quòd truncato immanissimi Holofernis capite cives metu, urbem obsidione, patriam hostibus liberaverit: longè magnificentius celebrari debet MARIA, quæ non Holofernem, sed draconem infernum, non hominem sed dæmonem, illum juratum generis humani hostem devicerit, phaleris exuerit, fascibus spoliârit, & luctuosissimum inferorum jugum â cervicibus suis declinârit, â nostris verò excusserit, ac in libertatem asseruerit â sæculis desideratam. Fuerint heroinæ, aut etiam heroës alij, qui ut viverent, mortem triumphârunt; quando vel inter telorum imbres, vel saxornm grandines, vel bestiarum dentes, vel ignium

(a) *Ierem. c. 31.*

ignium globos, vel lictorum acinaces, ſtabant erecti animis, quamvis conciderent corpore: glorioſiùs tamen triumphavit MARIA, quando mors & vita, quam genuit, duello conflixere mirando; ſiquidem tunc, ut canit Eccleſia, *mortem, quam fæmina intulit, fæmina protrivit.*

Verùm nimiùm devolvar in his paradiſi Mariani fluminibus, ſi reliqua fortitudinis, aut aliarum virtutum præcipua documenta velim recenſere; cùm præſertim illæ orationis meæ non tam ſint argumentum, quàm fundamentum. Revocare proinde dictionis gradum oportet, & reſidua bina flumina in verborum cogere anguſtias, ut flumen eloquentiæ ab ijs potius exhauriri abſorberique permittam, quàm ab hoc illa permeari, vel adæquari poſſe profitear. Renuunt piarum mentium virtutes inflatis verborum fluctibus intumeſcere, ſe ipſis magnæ. Non amnis ab aquis limpidis fit limpidior, ſi criſtallineas aquas omnes ſuâ ſuperet limpiditate. Quis

autem dubitet, Justitiæ aquas in Maria fluxisse limpidissimas, quæ ipsum *Justitiæ fontem* (a) purissimo excepit utero, & novem mensium intercapedine sitientibus aperuit? Quis ambigat fuisse justissimam, quæ censum Augusto, par turturum legi, honorem Deo prona detulit voluntate? Quis non celebret integerrimam, quæ plenis laudantium choris *Speculum justitiæ* ideo fortasse decantatur, quòd vel ex regula æquitatis, suum cuique tribuentis, id totum sincerè reddat, quod in se recipit; vel quòd agnoscat orbis, ad hoc speculum omnes æqui amantium actiones posse conformari; vel quòd ipse *Sol Justitiæ*, illius adminiculo, radios suos voluerit reflecti in aulas principum, tribunalia judicum, odæa Jurisconsultorum? Quis ignoret actionem juris tot sæculis prorogatam, terminâsse demum felicissimè, quando pro uno veteris paradisi fructu, furtim ablato, dedit *fructum ventris sui*; & ad eluendam unius serpentis fraudem reddidit quadruplum: *Carnem* videlicet

(a) *S. Damascenus orat. 1. de Dormit. B.V.*

licet in passionem, *sanguinem* in effusionem, *animam* Filij in mortem, *Divinitatem* in crucem, ad nostram reconciliationem? (a)

O quàm difficile est hæsitare de veritate, cujus tam manifesta prostant exempla & argumenta! O quàm ridiculum, ac pene iniquum est, â tenuiter fluentis Suadæ fonte mutuare rivos, ad ampliandum justitiæ flumen, quod divite undarum copiâ non minus est spatiosum, quàm speciosum! Sed demus tamen hoc obsequij tributum â cliente deberi Patronæ, ut eam vocali elevet encomio, cujus beneficijs ipse toties relevatur; nè, si silentio involvat omnia, mugili sit similior, quàm Sireni, cujus munus est, tenui saltem voculâ viciniam aquarum, quas innatat, subinde demulcere. Concedamus etiam, quod moralis Sapientiæ antistites exigunt, Ethicæ magisterium extolli satis non posse, nisi laudatis ejus, unde profluit, primæ originis fontibus; an censorio calculo notandus sum, dum exili panegyri Patronam laudo,

(a) *In Stellario corona benedicta l. 7. p. 2. c. 6.*

ut non desim obligationi; & flumi-nibus istis ita insisto, ut ea potius traijcere videar, quàm decurrere? In quartum igitur flumen dum in-fluo, etiam effluo, cum Mariophilis dixisse contentus, tantam rerum omnium eluxisse in Virgine temperi-em, ut amænitate sua Deum in amo-rem, Angelos in oblectationem, San-ctos in æmulationem, orbem in stu-porem, Rhetores omnes in quod-dam silentium & eloquendi impo-tentiam pertraxerit. D. Damasce-num (a) invoco, qui perspicacibus attentæ mentis oculis illam intuens, vidit tranquillitatem cum motibus, nitorem cum moribus, amictum cum honestate, cibum cum mensura, incessum cum gravitate, sermonem cum lenitudine, conversationem cum modestia, otium cum sedulita-te, negotia cum quiete, sublimes contemplationes cum humanitate ita fuisse contemperata, ut in sono vocis, nutu oculorum, situ capitis, gestu manuum, flexu membrorum, cultu vestium, motu sensuum, in omni-

(a) *Orat. 1. de Nat. B. V.*

omnibus denique tum corporis, tum animæ functionibus nihil asperum, molle, præceps, lentum, superfluum, tædiosum, vile, superbum, & affectatum adverteretur. O verè admirandam Virginis temperantiam! O Paradisum sub tantorum decorum conspiratione, uniúsque virtutis moderatrice regula venustè floridum, & deliciosum! O jucundam malaciam fluminis, quod nullo fluctuum tumore, nullo alvei torrente, nullo vehementioris venti motu, sed suavissimis Favonijs, modestisque susurris temperatissimè devolvebatur! Gloriare nunc O MARIA, illúdque intona: *Ego Sapientia* (sive Sapientiæ parens) *effudi flumina;* (a) & nos cum Guarrico Abbate vocibus obsequiosis subsequemur: *Flumina de ventre MARIÆ fluebant aquæ vivæ, & fons vitæ ac gratiæ oriebatur de medio Paradisi.* (b) Occinat tibi nunc *Candidus* ille, ac *Rubicundus*, tenerrimus tui amator, Sponsus: *Pulchra* es, Amica mea, *Suavis & decora* sicut Jerusalem, *Terribilis* ut castrorum acies ordinata; & nos applaudemus

(a) *Eccl. c. 24.*

(b) *Serm. 3. de Ioan. Bapt.*

tibi cum altero Abbate Guilielmo: *Pulchra* propter virtutem *Justitiæ*, quæ pulchritudo est animæ; *Suavis* propter virtutem *Prudentiæ*, quæ non tantùm sapienter, sed & suaviter, tantóque suavius, quanto Sapientius operatur; *Decora*, propter virtutem *Temperantiæ*, quæ castigat animæ, simúlque corporis indecoros motus; *Terribilis* propter virtutem *Fortitudinis*, quæ dum hostiles impetus constanter tolerat, hostilem audaciam potenter refrænat. (a) Atque sic quaternum universalis Ethicæ cardinem in te non tantùm evincemus, sed insuper excellentissimam ejusdem scientiam, & magisterium arguemus.

(a) *Guil. Abb. apud Delrio in Cantic.*

Quanquam neminem esse arbitror, qui de hac Ethicæ scientia possit dubitare, si rationum momenta librare, facundissimisque MARIÆ præconibus consuetâ patientiâ voluerit auscultare. Dicite amabo, quicunque in hac causa pendetis animis, an convenienter in paradisum, sive hortum suum descensurus fuisset *Dilectus*, ut inter lilia floresque pasceretur, nisi prius

prius eundem & lilijs & floribus exornâsset? Quos autem alios in hac capacissima virgineáque terra plantâsset & educâsset, quàm illos, qui omnem virtutum moralium florulentiam spirarent, & qui apti forent ad conciliandas ipsi culturæ Magistro amabiles extra cœlum delicias? Quid aliud sunt etiam virtutes illæ, quàm generosiores divinissimæ fructus Ethicæ, quibus Sponsus, ab itineribus æternitatis fatigatus, in Sponsæ sinu, tanquam voluptuoso quietis loco, voluit refocillari? O quàm durum est refragari veritati, quæ tanto rationis lumine circumfulget! Profectò mihi tam peregrinum accidit, omnium virtutum Matrem fuisse MARIAM sine seminatrice Ethica, quàm novum est, excrevisse nonnunquam sine radice arboris truncum, sine trunco ramos, sine ramis folia. Tam incredibile videtur esse, Verbum æternum divinam (si loqui sic licet) cum humana copulâsse Humanitatem, & potissimum Ethicæ simulachrum non conjunxis-
 se;

ſe; quàm falſum eſt, eum in hoc orbis theatrum induxiſſe radios ſolis ſine luce, indidiſſe hominibus vitam ſine anima, dediſſe animantibus viſum ſine oculis.

Sed pergamus tamen in argumento deliciari, quàm diu in hoc Mariano Paradiſo nobis licet expatiari. Suſpicor enim, hoc inſuper â me deſiderari, ut oſtendam, quo loco vel tempore profeſſionem Ethicæ ſit auſpicata, quibuſve doctrinis Auditores ſuos imbuerit MARIA. Quare ut deſiderijs veſtris quàm primùm adblandiar, libenter aſſero, illam ibi moralis Sapientiæ Magiſterium exhibuiſſe, ubi præſtantiſſimi quíque vix rude tyrocinium poſuerunt. In exeſæ rupis antro Ethicæ regulas, & Reipub: inſtituendæ normas hauſiſſe dicetis Platonem; ego in Bethlemi ſtabulo, vel ut alij volunt, hiantis ſaxi latibulo fundamentales publici boni inſtitutiones, in unum quidem caput (O quantum caput!) membra tamen multa, digito paternæ dexteræ congeſtas,

gestas, exposuisse, pronuntiabo Mariam. In tenebroso montis hiatu, philosophiam, morum magistram, complexum, ejusdem conclusionibus assvetum, dicetis Xenocratem; ego in lacero Judææ tugurio ulnis & corde conclusas, & perspectas Incarnatæ Sapientiæ delicias discipulis communicâsse, prædicabo Mariam. In tenebris ab Ægeria suà regni gubernandi & conservandi leges didicisse dicetis Numam Pompilium; ego in *vespera sæculorum*, & in altissima quidem nocte, ipsum universi mundi conservatorem, omnibus servandi methodis instructissimum, dedisse affiirmabo Mariam. In profunda terræ scrobe magnatum consilia rerum â Conso Deo suo attentâ mente excepisse dicetis Romanos; ego in malè clausa telluris specu ipsum *Magni consilij angelum* habuisse auditorem, asseverabo Mariam. Néque vereor, ut pro Sanctissima Virgine dicentem quispiam temeritatis arguat, cùm magnum illud Hispaniæ decus Ildefonsus (a) non

(a) *Lib. de Virg. Mariæ.*

non me solùm, sed omnes omnino Marianæ doctrinæ discipulos sic loqui docuerit: *Sub Mariæ disciplina Infans Deus versatur.* Non ut erudiri videatur (explicat Doctissimus de Celada (a)) qui nulla eruditione indiget; sed ut Matris docentis honoret Sapientiam, & in morum florulentia recreetur, gestuum formositate saucietur, virtutum suaveolentiâ inebrietur.

(a) *In Indith. tract. Append. c. 11. §. 15.*

Bone Deus! ergóne satis non fuit, ex tuarum, quas in te vides, perfectionum pulchritudine intensissimam & inexplicabilem haurire beatitudinem, adhuc *respexisti Ancillam*, ut extensione quadam majorem ex ea perciperes? Itane liberaliter te infudisti Virgini, ut etiam pulchritudo morum tuorum in illa reluceret? Ita! clamat Andreas Cretensis, (b) qui eam *Compendium incomprehensibilium perfectionum Dei* nuncupat: ita! respondet Hieronymus, (c) qui *formam Disciplinæ* Christi asserit; ita! subjungit Isidorus Thessalonicensis, (d) *Efformabat*, inquiens, *se ipsam, uti pictor*

(b) *Orat. 2. de Assum. B. V.*

(c) *S. Hier. ser. de Assump:*

(d) *Isid. orat. 4.*

pictor peritus, intuens in imaginem Opificis & filij sui: ita! conclamant Interpretes, qui formam illam in Mariæ moribus expressam, multo pulchriorem, & quodammodo venustiorem apparuisse innuunt; cùm idem loqueretur Maria morum & vitæ linguâ, quod Christus ore prædicabat. (a) Non igitur jam miror Doctissimum Idiotam, quod Deiparentem *vitæ moralis idæam & exemplar* vocet; non obstupesco laudatum Hieronymum, quòd *vitam ejus omnium disciplinam, & mores, instituta Ecclesiarum* indigitet; (b) non invideo dulcissimo Ambrosio, (c) qui in Virgine *Magisteria probitatis* habuit; non repugno ijs, qui discipulos Domini, & Ecclesiæ Magistros sacratissimis morum disciplinis â Maria institutos edocuerunt. (d) Illud insuper addo, alios quóque Patres authoritate sua futuros hic debiles, nisi admittant, DEIparentem Ethicæ scientiâ præcelluisse, adeóque totâ vitâ suâ (siquidem ex hac, teste Chrysologo (e) *Magisterij authoritas constat*) perfectissimam fuisse

(a) Didacus de Celada loco citato.

(b) *S. Hieron. supra.*

(c) *Libr. 2. de Virg.*

(d) *Auctor Supplem: Gabrielis in 4. Dist: 49. q. 4. a. 3. d. 2.*

(e) *S. Chrysol. serm. 176.*

fuisse Magistram. Vix enim credam Athanasio Sinaitæ, (a) fuisse summam orbis Imperatricem, nisi simul eam honoret moralium virtutum gemmis, in exemplum Reginarum, coronatam. Vix credam Gregorio Neocæsareensi, (b) fuisse *Civitatem animatam*, nisi concedat, illius animam fuisse Ethicam, qua habitantes in ea cives ad tranquillitatis studia, candorem animorum, mutuæ amicitiæ fomenta, legum sanctissimarum cultum, & Superiorum observantiam animabat. Vix credam Virgineo Damasceno (c) & alijs, fuisse *Templum DEI*, nisi pulcherrima Ethicæ instituta in Sacrorum reverentia, nitore altarium, hostiarum pretio illinc enituerint. Vix credam Hipponensium Antistiti Augustino, (d) fuisse *Aulam Regis æterni*, nisi etiam fateatur, in hac habitasse moralem Sapientiam, illam consiliorum & mandatorum dictatricem, formosissimúmque virtutum omnium gynæceum.

(a) *Serm. de Assum.*

(b) *Orat. 3. de Annun.*

(c) *Orat. 1. de Nat. B.V.*

(d) *S. Aug: ser: de Assi: qui habetur tomo 9.*

Sed â Magistra nostra dictata, at-

que

que in laconicos aphoriſmos digeſta præcepta, veſtrorum ſunt fines deſideriorum. Animadverto, quâ mentis aſtutæ intentione hoc expectetis. Fateor námque in tota Scripturarum ſerie nonniſi ſepties locutam reperiri MARIAM. Sed quid inde? Ergo vox ejus aures clientum ſuorum frequentiore dulcedine non demulſit? Ergo inanibus tituli affanijs me ludere putatis, dum eam, non de communibus, ſed altiſſimis Doctorum ſubſellijs Magiſtram compello, quamvis illius commentarij litteris conſignati non ſint? An neſcitis, vel ex Spiritus Sancti oraculo, vel SS. Patrum teſtimonio, hunc demum vocari magnum, qui *fecerit*, ac faciendo *docuerit*; & *docere factis ſolam eſſe normam doctrinæ*? (a) An ignoratis Philoſophiā nō Philologiā, vivere non diſputare, magna agere non loqui, factis magis quàm verbis (licet nec his pepercerit, ut ſupra aſſerui) docuiſſe Magiſtram? Legite vitam, inſpicite exercitia conſiderate opera, & ſincera Virginis ſenſa colli-

(a) *S. Chryſologus ſupra.*

colligetis. Mihi certè, nuper â ſcholarum laboribus avocato, dum inter profunda ad Magnam Matrem Suſpiria, tantiſper reſpirarem, jámque Marianum ingreſſus Paradiſum, primum de fluminibus quatuor attentiore mentis obtutu contemplarer, cum ſvaviſſimis alijs ſuſurris, auditi ſunt etiam ſequentes inſuſurrari

Prudentiæ Aphoriſmi.

QUiſquis ſinceram prenſas felicitatem, illuc mentis tuæ fige oculos, unde obijciuntur optima, quamvis ardua, quamvis diſſita. Dum verſaris in rerum delectu, cave, nè apparentis boni ſpecie ſeducaris, quia jacturam irreparabilem facies ſincerioris. Ego MARIA, Magiſtra tua, optimam elegi partem, quia cœlo intenta, non terris, providebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Cuncta providenda & diſpicienda ſunt, ut ames bona, mala vel fugias, vel præ-

prævertas. Securius est damna prævenire, quàm illata emendare. Ille carior est Medicus, qui pharmacis præservat, quàm qui sanat. Expertæ crede Magistræ; meliùs honori suo consuluit, qui potens est, faciendo potentiam in brachio, quo, nè cum parente primo laberer, me sustinuit, quàm si post indecorum sibi lapsum è communi ruina quantocyus erexisset. Præcavenda nimirum sunt multa, nè si admiseris, serâ eluas pœnitudine. Non admittendum quidquam, cujus finem deliberando non disquiras, non deprehendas consultando. Privata æquè ac publica salus, imò ipsæ ingentium regnorum moles deliberatione fabricantur, consiliis fulciuntur. Illa consilia tutiora, quæ divinæ mentis consiliis sunt conformiora. Extra Deum nihil beatum, sine Deo nihil tutum, cum Deo nihil timendum, nisi solus Deus. Non tuum percellat animum aureus divitiarum splendor,

splendor, non elevata in superbiam ædificia pelliciant; non adspira ad sublimes dignitatum apices; nec appete alia fortunæ decora. Sine Deo sive possessa, sive perdita, tormenta sunt animorum. Divitiæ affluunt, ut effluant: ædificia stant, ut fatigentur: assurgunt, ut inclinato postea vertice temporis edacis adorent dominium. Dignitas trahit honoris fumum, ut evanescat; felicitas blanditur, ut fallat. Nôsti illud mihi familiare: Dispersit superbos, & divites dimisit inanes, qui solam sui Sapientiam, inter momentaneas mundi ruinas immortalem, præponi voluit regnis, ac sedibus, & divitias nihil (a) Sap. c.7. *esse duci in comparatione illius?* (a) *Hæc una calliditatis & humani astus inimica est, amica sinceritatis. Hæc rerum gerendarum præses, vitæ Magistra, lux operum, perennaturæ beatitatis clavis, quam sine fictione didici, & sine invidia communico.* (b) (b) Ibidem.

Ad

Ad hanc igitur Sapientiam, omnium Scientiarum gynæceo stipatam, generosiore impetu accurre, illiúsque amor in te continua cum annis sumat incrementa. Unum tamen ab Ancilla Domini disce: Scientias oportere semper manere ancillas, nunquam fieri dominas virtutum. Sic enim animum inflabunt nunquam, nec nimiùm sublatæ minabuntur præcipitia. Et quò majus honoris fastigium tibi extruxerint scientiæ, eò assurge altius humilitate. Dúmque in dignitatis subsellium fueris repositus, ad auxiliarem, atque amicam consuetudinem te submitte inferiorum, ut respectum habeas apud eum, qui tum in alijs, tum in me respexit humilitatem.

Attonito similior hic hærebam. Et quia uberem oblectationis materiam, solidásque ad erudiendam vitam veritates nactus fuerat animus, ulteriori sic loquentis dulcedi-

ne paſci peroptâſſem, niſi, ut nihil hîc diuturnum eſt, compoſito ad ſilentium iſthoc fluvio, & invitantibus ex alia parte mollibus inſpirationum veluti Favoniorum animabus, deductus fuiſſem ad flumen alterum, quod aquis fortiùs cadentibus, ſolidiſſimas haſce ciebat.

De Fortitudine admurmurationes.

INſignis Divinæ Sapientiæ portio, ſinceræq; prudentiæ Soboles eſt Fortitudo. Hæc duplici robuſta brachio res arduas aggreditur uno, ſuſtinet altero: hominem ſupra conditionem humanam attollit uno, medium homines inter Deúmque continet altero: audentibus præmium oſtentat uno, perſeverantibus promiſſum largitur altero; tanto auguſtior, quanto auguſtiorem ſedem occupat hominis animum, non corpus. Quiſquis igitur tam auguſta virtutis ambis præmia, exere animum, & divinis imbutus

imbutus consilijs tenta inausa, vince obstantia, sustine difficilia. Salus tua, & proximi, gloria tua, & Filij mei nonnisi cæsis obstantium hostium catervis capessitur. Una, eáque valida caterva sunt & propriæ tuæ cupiditates, & blandæ voluptatis illecebræ, & depravati animi tui sensus. Crescent tua pugnandi cunctatione, téque in abominandam trahent servitutem, ac ruinam; cadent exertæ virtutis celeritate impetiti. Quid turpiùs, posse pugnando vincere, déque victoria certum esse ante prælium, velle tamen torpescere, ut vincaris? Quid vilius, posse ordinata virtutum acie gloriosè dominari, & velle vitiorum monstris ignominiosè famulari? Propudiosa est emollitæ segnities indolis, celebranda sæculis animi celsitudo! Christianus es; Christum moribus exprime, non nomine. Pudeat nominis, quem piget imitationis. Hic ex me progenitus in-

solescentem orci serpentem illico aggressus fabulosum de Hercule commentum elisit veritate, quáque Viragine natus esset, adhuc tenellus demonstravit: tu annis maturior exemplo illius accendere, & magnanimitatem aut exhibe, aut nomen Christiani exue. Ille frigoribus ætatem pro te indurari, inediâ vexari, siti confici, exerceri laboribus, insidiis impeti, premi injuriis, violari contumeliis, sauciari vulneribus gloriosum duxit: tu gloriæ illius ut sis cohæres, similibus objice pectus, non tergum. Rerum acerbè fluentium casibus versari, nec everti; audere in salutem ardua, nec absterreri; circumagi tempestatibus, & serenam explicare frontem, argumentum est indolis, omni turbine superioris. Non est fortis, cujus animata voluntas ad primam difficultatis pruinam emarcescit. Vertumnus est, qui à generosis conceptibus ad alia facilè

con-

convertitur. Tam fædè à ceptis quis resilit, quàm gloriosè accessit. Syrtem indue, quæ assilientes Oceani fluctus robore non minori excipit, quàm exceptos reverberat. Arborem exprime, quæ radices suas in tanto majorem stringit soliditatem, quanto majore insultu à ventis impetitur. Solem æmulare, qui nubibus tegi potest, sed luce non privari. Rosam te exbibe, quæ inter vepreti aculeos gloriæ purpurâ renidet. Aromatum indolem sectare, quæ subinde contrita majorem viciniæ diffundunt odorem. Olivæ assimilare, quæ, dum premitur, in suavissimum utilissimúmque succum mortalibus diffluit. In omni denique vitæ inæqualitate semper sis æqualis, semper tibi similis. Sic agendo mortalium cogitationes superabis genuinus illius Magistræ discipulus, quam nec rerum vicissitudines, nec maledicta scurrarum, nec judæorum furor, nec satellitum sævitia,

vitiâ, nec plebis impudentia, in viscera Filij sui tumultuantia, potuerunt movere, aut deijcere: adhuc stabam juxta crucem.

Stabam & ego juxta hunc fluvium, non secus ac illa, cujus anima liquefacta est ad dulcem Sponsi loquelam. Verùm ubi vires mentémque collegi, & isthinc altum conticescerent omnia, ad tertium quoque flumen ingenti quadam discendi aviditate, me rapi permisi, ubi Superioribus non inferiora mihi visus sum excipere.

De Justitia Documenta.

IN pondere, numero, & mensura facta sunt omnia. Suâ mole ponderati montes; legum terminis aquæ coërcitæ; ad libram librati fontes; ipsa fundamenta terræ appensa ad æquilibrium, ut, exclusâ omni defectûs vel excessûs inæqualitate, in res universas Justitiæ mater, Æqualitas, induceretur. Pulchra virtus Justitia!

Justitia! Hac animorum servatur concordia, litigantium procuratur tranquillitas, dissidentium reparatur unio, compago Reipub. ad beatitudinem corroboratur. Tu justus ut sis, pronam gere voluntatem suum cuique tribuendi. Tribues, si eam ipsam transfuderis in divinam, cùm in omnibus solius Dei fieri oporteat, sicut in cœlo & in terra. In te nihil omnino tuum est, ut quem totum Filius meus inæstimabili sanguinis profusi pretio redemit, fecitq; suum. Toties illi es injurius, quoties tuam exerces voluntatem, quia uteris alieno, non proprio. Soli Deo voluntas est propria. Nunquam melius divinum ac Canonicum jus profiteberis, quàm cum dices: Fiat mihi secundùm Verbum tuum. Pretiosus justitiæ actus est, cùm nos totos exinanimus, ut universorum Domino tribuamus omnia: motus animæ, quia eam ab illo accepimus; bona exter-

 na,

tutò fruatur sibi concessis. Tuis contentus opibus ingeniosis abstine aliarum exactionibus. Memineris magnis tragœdijs vel unam subinde alienæ rei subtractionem expiatam fuisse. Sanguis pauperum, in ære alijsq; muneribus elicitus, ipsa Abelis voce in cœlum est vocalior. Nunquam surdus ad afflictorum suspiria est vindex Deus. Tunc voluit ex me nasci, cùm ad tributorum copiam describeretur orbis; ut non destituerentur solatio, qui oneribus premebantur. Ideo præeris, ut alios leves, non opprimas. Ideo Justitiæ vibrabis ensem, ut in te ac alijs iniquitatem ex æquo præcidas, non propugnes. Delicta non debent impunitate crescere; sed etiam severitate non superari. Quos ad æquitatem provocare nequiveris virtutis amore, trahe formidine pœnæ. Sæpe qui sensum honoris non habent, habent doloris. Sic in vijs Justitiæ ambulando nun-
 quam

quam offendes ad lapidem pedem tuum. (a)

(a) Ps. 90.

Quartus adhuc restabat fluvius. Hic quia per Paradisum amænis flexibus ad pulchram oculorum illusionem oberrabat, & modestissimâ sui devolutione non exiguum eminus aspicienti faciebat indicium quarti Ethicæ cardinis; facili me negotio ad se pellexit. Vix autem illius littora speculabundâ mente subinstrâram, gratiosámque Marianæ vitæ temperiem, temperatissimo, argenteóque aquarum motu expressam, conspexeram; cùm subitò breve ad morum nostrorum moderationem occurrit,

Temperantiæ Dictamen.

AMplum virtutis imperium est, corpori & animæ bene imperantis. In sublimi consistens speculâ vigil excubat, ut ubi commotiones hominis inferioris desuper prospectârit, malaciam imperet, & corporeæ tranquillitatis

tatis decora refundat in animam. Plerumque quod non decet corpus, animam dedecet. Insani motus illius perturbant hujus serenitatem. Cohibe illud, & oriri solitos adversùs istam tumultus securissimè declinabis. Illius cupiditates maturè fræna, nè, si concesseris, quod expetunt, appetendi gradum facias, non finem. Si tegendo illi arriserit saturata conchylio purpura, & intextæ auro, vel coloribus distincta telæ; si pretiosi ab Indis lapides, fulgensq́ supellex; si auri argentiq́ copia; cogita non esse sitim, humore quodam satiandam; sed nimium exardescentis voluntatis æstu exortum desiderium, proindèque morbum, solâ temperantiâ curandum. Superflua pro corpore cura, veluti luxuriantis vitis palmes, est amputanda. Tantum indulge illi, quantum decenter opus est. Ita ciba, ut levamentum vitæ sint cibi, non pondus. Comedimus, ut vivamus;

mus; non vivimus, ut comedamus. Dißipit, qui ſarcinam replet, ut profundiùs deprimatur. Ita pota, ut anima nullo unquam fluctuet periculo; natante ſiquidem in vino corpore, illa plerumque naufragatur: nec ſpem ſalutis habet, niſi abjectis oneribus, & immodico rerum uſu, in tabula pœnitentiæ. Terrori ſit ille, qui epulabatur quotidie ſplendidè, hoc eſt, intemperanter; nec jam guttam habet de tot excellentißimis vinis, quâ linguæ ardorem poßit temperare. Nimirum ſine modo caſtigantur, qui nullum vivendo modum tenuerunt. Amant, prenſántque temperantiam, ubi retro eſt occaſio calva. Æternam ſerviunt ibi ſervitutem, qui brevi tempore paßionibus ſuis, cum poſſent, hîc noluerunt dominari; ſed depreſſo ſpiritu ſervierunt corpori. O quàm auguſtum eſt ſui Dominium! quàm regius animus, qui affectus omnes rationis

imperio

imperio ita regit, ut ab ijs non regatur; ita ducit, ut non ducatur! Tu dominus ut sis semper, corpus omnesq; potentias tuas hic moderare, verèque cum Magistra dices discipulus: Depresso corpore, exultavit Spiritus meus in Deo Salutari meo. (a) (a) *Luc. c. 1.*

Ecce instituendæ vitæ regulas, virtutum præcepta, normas agendorum, eruditiones juvenum, pulcherrima Ethicæ argumenta, quæ morum eruditissima Magistra factis magis, quàm verbis communicavit clientibus, dictavit discipulis, præscripsit filijs. Si vobis quóque probantur AA. legite, notate, factis exprimite. Sunt pretiosæ margaritæ, quas in amæna quatuor fluminum littora egessit, ad proritandam discipulorum suorum avaritiam; si lubet, earum pretio ditescite, quoniam ipsa est, quæ *ditat diligentes se, & thesauros eorum replet.* (a) Sunt communiores quidem, non tamen viles, de Sapientiæ thesauris eductæ gemmæ; si placet, in vitæ annulos (b) *Prov. c. 8.*

in-

inſerite, ut magno æternitatis anno beatis & nunquam ſolubilibus nexibus innectamini. Sunt optimi auri arenulæ; ſi arrident, ijs mores veſtros inaurate, ut vita veſtra tota poſthac ſit aurea. Sunt lapides pro inauribus, ſi non diſplicent, auribus veſtris ſic accommodate, ut per eas in animum immittantur, pretioſum daturi ornamentum.

Vos tamen in primis obſecro, atque obteſtor Juvenes, qui ad ſcientiarum emporia ideo ablegamini, ut ibi, non inter nugivendulos crepitacula, non inter cincinatos & lacte lotos muliebrem molitiem, non inter aſtutas vulpes vulpinandi vafritiem, non inter diſcolos libertatem quidlibet audendi; ſed inter maturrimos Sapientiæ Profeſſores, probitatiſque amantes condiſcipulos, honeſtiſſimarum litterarum commeatum, in omnem vitæ neceſſitatem profuturum, comparetis. Vos inquam obſecro, atque obteſtor, ut hanc Ethicæ ſcientiam affectu teneriore complectamini, e-
júſque

júſque quaternos fontes, hactenus deductos, avidiore pectore combibatis. Prudentiâ enim & Fortitudine, Juſtitiâ & Temperantiâ præeminentes coercebitis diſſolutæ juventutis licentiam; revocabitis ab exilio pietatem; exaggerabitis vilipenſæ Religionis pretium; conciliabitis diſſidentium animorum concordiam; arcebitis â patria inſidias; diſſipabitis prementium bellorum tempeſtates; reducetis in tribunalia æquitatem, in commerica fidem, in domicilia honeſtatem, in animos candorem; univerſam Rempub. ad omnem felicitatem per hos virtutum cardines devolvetis, ac demum figetis, ſtabilietis. Hoc expoſcunt â vobis parentes veſtri, qui ſuum non tantùm ſangvinem, ſed & virtutum gloriam gloríæque famam in vobis ali voluerunt. Hoc efflagitat afflicta per callidam, depravatámque incolarum progeniem patria veſtra, quæ probos pro urbibus cives, prudentes pro civibus magiſtros, doctos pro curijs dictatores, integros

pro

pro foro advocatos, ſanctos pro templis Sacerdotes, fortes pro mœnibus milites, peritos pro exercitibus duces, pro omni deníque comparanda felicitate novos Herculem, pro ſuſtentanda Atlantes præſtolatur. Hoc exigunt ſapientiſſimi Reges & principes veſtri, qui non ſolius nobilitatis lenocinio, non ſanguinis privilegio, non opulentiæ patrocinio; ſed illuſtriſſimis ſimul ſcientiæ rationibus induci amant, ad conferenda aularum ſubſellia & officia provinciarum. Hoc obteſtantur Magiſtri & præceptores veſtri, qui nocturnis vigilijs, diurníſque, laboribus ſudorem ſuum vel ideo profundunt, ut immortalis gloriæ laureas, quibus capita veſtra virere peroptant, irrigent, atque fæcundent. Hoc deſiderat, ardétque indoles veſtra, cujus ſcintillæ non rarò per actiones vitæ, quaſi per rimas emicant; plenè tamen eluctari non poſſunt, quia neſcio quibus voluptæ vel libertatis ſatellitibus obſidentur.

Agite,

Agite igitur Adolescentes optimi, Spes patriæ, heroum semina, illustres animæ; & concepta magistrorum vota, parentum desideria, principum expectationem, indolis vestræ vigorem amate, fovete, beate. Beabitis; si, quam probavi felicissimam esse morum conformatricem, doctissimam imperandi, obtemperandíque regularum Magistram, prudentissimam humanarum actionum moderatricem, attentá mente audiveritis, & doctrinas ejus non tam calamis in charta, quàm operibus in vita expresseritis. Sed dicite amabo, facietisne? Facietis. Ita suspicor, ita mihi persvadeo. Quare unum, & illud quidem Supremum, rogo; Si humanissimis his Ethicæ præceptionibus, quasi viatico quodam instructi, ex hac mortali vita in felicis æternitatis via me præcesseritis, pro humanitate vestra, nomine tamen & corde meo,

Salutate MARIAM. (a)

(a) *Ad Rom. c. 16.*

PRÆCONIUM.

Mathematicarum disciplinarum dignitas & utilitas permagna. Ipse mundi Architectus in fabricando, machinandóque Universitatis opificio Geometriam in primis exhibuit. Neque Plato quidquam magnificentiùs locutus est, cum dixit, DEUM μάλιϛα Πάντων γεωμετρεῖν. Petrus Ramus Orat. de sua Profess.

ORATIO VII.

MARIA, necessariam Mathematum varietatem sapiens, ideóque Magistra Matheseos.

SOlent nonnulli de Rhetorum ordine non mediocriter angi; & sive de

de argumentorum robore ac nervo; ſive de varia eruditionum ſupellectile ac raritate, verborum copia & ſelectu, figurarum numero & ornatu, periodorum fluxu & refluxu, majore concuti ſolicitudine, ſiquando dicendi labor incumbit, & melioris orationis gloria pungit animum: ego tamen dicturus de præſtanti Matheſeos ſcientia, quâ Deus Matrem ſuam exornavit, ornatámque alijs præſtituit Magiſtram, omnem ejuſmodi curam ſepono, audacter facundéque provocans in ornatum dictionis ipſam argumenti pulchritudinem, quæ quàm varia & elegans, tam varios & elegantes eidem vultus, amabiléſque formas poterit communicare. Poterunt enim verò tot tamque multiplicia mathemata panegyris eſſe themata, tanto aptiora pro acumine, quanto illa nobiliora ſunt â MARIÆ ingenio: poterunt hujus ſcientiæ ſororiæ ſpecies eruditionum ſubire vices, & in copioſam amænitatem explicari, Nazarea ſiquidem Mater, quæ plerumque

cogitationibus eruditis interfuit, nonnisi florulentiam ſpirare ſolet: poterunt adeo diverſi tum cœleſtis, tú terreſtris ſphæræ circuli ſermonis eſſe periodi eo rotundiores, quo perfectiores in orbes hæc terra collecta, cœlum illud gyratum, Mariana inſuper cogitatione ſunt rotundata: poterunt circulorum diviſiones eſſe periodorum membra, linearum ſectiones Inciſa, figurarum varietates orationis conformatio, verborum ac ſententiarum perpolitione inſignienda. Verùm itane futurum ſperem, ut in facundiæ ornatum hæc omnia cedant, & â rerum dicendarum dignitate in ipſam dictionem reflectat aliquid? Ita omnino ſpero, AA, ita penitus confido, ut quemadmodum ſolis radius triſtes cœli nubes, candidus lucis nitor picturæ umbras, pulchra roſæ purpura dumeti folia trajicit, ac illuminat; ſic hujus argumenti materies orationem meam conveſtiat, ut ab ejus gratia nonnihil gratioſa evadat, demúmque per aures in animos veſtros ſuaviter influat;

fluat; cùm ſtrepera ſolùm loquacitate obſtrepere, nefas eſſe putem ſemper caſtigandum. Scio quidem ex B. Ennodio (a) *fulvi nobilitatem metalli, niſi ad unguem manus ducat artificis, maternis pene hebetari in tenebris*; nec ignoro, nobilium rerum pretia quandoque non apparere, niſi in eloquentiæ campis exponantur: ego tamen, virium mearum conſcius, non poſſum de linguæ dexteritate tantum promittere, quantum ſufficiat ad cauſæ pulchritudinem elevandam, vel amplius exornandam. Conamur (loquor ex mente laudati Patris) ſubinde vel *dicere*, vel ſcribere *pulchra*; *ſed interim amantur plus fortia. Sæpe eadem redimita ſunt floribus eloquentiæ; ſed poma plus diliguntur.* (b) Ab utroque cùm non contemnendum ſubſidium expectem, AA, libenter proſequar laudis Marianæ ſeriem, ut quam ſub benevolentiæ veſtræ Favonijs exponere cepi, conſummata terminem aſpiratione.

(a) *B. Ennod orat.* 3.

(b) *Idem lib.* 1. *Epiſt.* 12.

Adeſte igitur, quotquot eſtis veræ Sapientiæ ſeu filiæ, ſeu Sorores;

vóſque in primis Arithmetica, Aſtronomia, Geometria, Coſmographia, Hydrographia, & Topographia; quas cum Sapientûm antiquitas ſemper coluit, & venerata eſt, tum noſtra non minore cultu recolit poſteritas: adeſte, inquam, & Marianæ panegyris argumento fidem facite prolixiorem. Dicite, obſecro, nunquid vos quoque non exiguum induxiſtis jubar capaciſſimo Virginis intellectui, quando ipſa vel corporum cœleſtium aſpectus, magnitudines, intervalla, progreſſiones, inſtitutioneſque matura mente proſecuta eſt; vel ex eorundem corporum motibus collecta temporum momenta ad rerum geſtarum numeravit ordinem; vel elaboratas ædificiorum moles, abſolutáſque templorum ſtructuras non circinis, ſed circulorum, linearum, & angulorum rationibus diſtinxit; vel terrarum amplitudines, aquarum extractus, regionum ſitus, provinciarum ordines conſideravit profundiùs, cogitatione dimenſa eſt accuratiùs? Ita annuunt

Virginis

Virginis amatrices omnes, appronis vultibus adstipulantur omnes; utq; materiam commendationis faciant ampliorem, quæ magis in ea refulserit, contendunt omnes. Omnes enim in ea refulsisse, confirmare videntur Angelici Doctoris Magister Albertus, (a) Seraphici Patris filius Antoninus, (b) Marianorum decorum vindices Theologi, (c) qui dictante pietate dictant: *Augustam Virginem, utpote Sapientiæ Domum, scientiarum, & errorum omnium peremptricem, in his scientijs excultissimam esse oportuisse.*

(a) *Super Miss. c. 144. & c. 146.*
(b) 4. *p. tit.* 15. *c.* 19.
(c) *Christoph. Vega in Theol. Mar. & alij.*

Sed splendido potius ac triumphali fuco hæc Deiparenti appingi, asseret nonnemo: exuberantis siquidem affectûs iste defectus est, supervacaneam, & inanem profanarum scientiarum pompam, velut oculatam pavoni caudam illi affigere, quæ serijs solidisque profundæ mentis cognitionibus solita est distineri. *Risum teneamus amici*, si gravissimam Virginem, inutilibus occupationibus inimicam, videamus, jam agi per aërem, & nescio quibus ma-

 chinis

chinis examinare ſidera, eorúmque corpora menſurare; jam deſcribere terreſtris globi partes, notare locorum diſtantias, metiri turrium montiumque altitudines; jam numerare Ephemerides, diſcernere pondera, probare menſuras, inire ſumptuum, pecuniarum, aut ſimilium computus; jam delineare palatia, fabricare horologia, perpolire metalla, laborare vitra, tergere ſpecula; & denique cum Archimede, neſcio, quas aniles, in anguſto illo, quam Lauretanam Domum dicimus, domicilio formas efformare. In ſtuporem inſuper abeamus, ſi viderimus apud illam œconomiam opticorum tuborum, circinorum, ſphærarum, aſtrolabiorum, & ſimilium obſervationibus aſtronomicis ſubſervientium inſtrumentorum copiam: vileſcat Authoritas Magni Auguſtini, alicubi (a) ſic loquentis: *Nihil tam eſt contra Chriſtianos, quàm ſi arti Matheſeos adhibeant curam; hæc enim inimica dignoſcitur Dei*: non credamus Interpretibus (b) aſtrorum cognitionem ſoli DEO

(a) *S. Aug. l. 2. de Doctr. Xtian. c. 11.*
(b) *Caiet: in Gen. 2. ad illud: Adduxit ea ad Adam.*

DEO reſervantibus, juxta illud: *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, (a) Si uni Virgini, latendi ſtudio intentæ, cœlorum ſcientiam Deus communicavit.

(a) *Pſ. 144.*

Prô quanta ſunt hæc argumenta! quantum robur adverſæ partis ſic argutantis! obmuteſcerem ſanè, vel in Harpocraticum abirem ſilentium, niſi probè nôſſem, vanas eſſe ſine viribus iras; cælum quandóque tonare, non fulminare; parturire montes, & naſci demum ridicula; nonnullos verbis magis eſſe ſonoros, quàm rerum pondere graves. Quis autem non advertit tumidam verborum pompam & affectatæ mentis indolem, quæ admirationem vel prodit, vel intendit, non ſolidæ rationis vibrat verbera, ad expugnandos animis auditorum? Dic enim, amabo, quisquis ſtupendo dicis, non peroras dicendo, vacavítne aliquando ſacrarum ſcripturarũ lectioni Maria? Vacavit: imò altiſſimè animo ſuo impreſſit. (b) Sed legitne etiam, quæ de mirabili, quam Noë conſtruxit,

(b) *Carthagena tom. 2. l. 2. hom. 9.*

xit, arcæ compagine, illiúsque capacitate, longitudine, latitudine, ac profunditate ex Geometriæ regulis præscripsit DEUS? Legit; sed Incarnatæ Sapientiæ parens non intellexit. *Risum teneamus amici.* Legitne, quæ de Salomonis templo, tabernaculo, aulæ palatio, cæterísque molitionibus, quæ peritissimi artifices non tam artis suæ monumentis nobilitarunt, quam ipsa Dei Sapientia per exactas linearum, angulorum, triangulorum, circulorum, & mensurarum amusses ad fastigium perduxit, Sacræ litteræ non uno produnt loco? Legit; sed DEI Mater non intellexit. *Risum teneamus amici.* Legitne illam scripturæ partem, in qua seu ad mensurandum, seu ad ponderandum *Amphoræ, modij, metretæ, cadi, Caph, bati, cori, ephi, sati, gomor,* & similia memorantur? Legit; sed Maria non intelexit. *Risum teneamus amici.* Legítne, quàm jucundus paradisi fuerit situs; num aliquas ejus loci plagas discriminârit quaternio fluminum; quæ post fatales diluvij
aquas

aquas factæ ſint diviſiones gentium; quos terræ mariſque tractus tranſmiſerint peregrinantes Iſraëlitæ; quas provincias ſuis pedibus emenſi ſint Patriarchæ, quæ univerſa ſine Geographiæ, & Coſmographiæ rationibus comprehendi nequeunt? Legit; ſed non intellexit. *Riſum teneamus amici.* Legitne in Iſaia, illo *Seraphici Ordinis* (a) *viro,* retroactum aliquando per denas lineas ſolem in horologio Achaz, eundem alibi Suſpenſo curſu ſtetiſſe ad imperia pugnantis Joſue, ejuſdem luminis abſentiam induxiſſe tenebras alibi, & condenſa caligine Iſacidas involviſſe? Legit; ſed quo modo id factum ſit, non intellexit. Denique *riſum teneamus amici* Virginis, vel totis potius ſtomachis ſtomachemur, quando tam liberæ ſunt mortalium mentes ac linguæ, ut pro libidine ſua quidvis apprehendant, & pro audacia, quæ apprehenderint, opinentur, ac eloquantur. Corticem, & quæ meticuloſo ingenio aſtoris indecora videntur, exaggerant; nucleum, &

(a) *Cornel. à Lapide in argum: ad Iſaiam.*

& quæ in animum profundiùs descendere oporteret, non attendunt. Jurâsse se in Marianarum laudum temperantiam gloriantur, & interim improvidi, non levem ijsdem impingunt injuriam, dum fateri coguntur, intellectûs perspicacissimi Virginem Sacrarum litterarum apices legisse quidem, sed non intellexisse. Fateor & ego castigabilis temeritatis argumentum fore, si vel mente incitatiore sentirem, vel ore vehementiore propugnarem, illam Astrologiæ Judiciariæ, contra quàm D. Augustini superior fuit querimonia, operæ aliquid impendisse; vel tempus, ingeniúmque suum observandis astrorum cursibus, notandis solis ac lunæ deliquijs, mensurandis terrarum, aquarúmque tractibus, colligendis montium & turrium altitudinibus, delineandis ad superbam ostentationem regum domicilijs, aptandis ad capienda rerũ spectacula, nescio, quibus machinis inutiliter distraxisse. Hoc tamen asserere præsumo, Deum integerrimæ Matheseos cogni-

cognitiones nobiles, eas præſertim, quæ ad intelligenda Scripturæ myſteria neceſſariæ ſunt, excitaſſe in Matre, cui, ſi mortalium ulli, facere voluit *memoriam mirabilium ſuorum.* Vellicat enim verò aurem Sapientiſſimo regum Salomon, (a) dum panegyrim primorum parentum contexens eos liberaliter celebrat diſciplinâ intellectus repletos, ſcientiâ Spiritus imbutos, Deum *poſuiſſe oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.* Subaudio etiam, & non modicè recreor, ambroſiam D. Ambroſij, (b) qua Salomonis encomium ad ſaporem condiens, teſtatur, eum perſpicua conſideratione pervaſiſſe omnia, quæ in arcanis abditarum diſpoſitionum tenebantur abſconſa; noviſſe, qualiter hoc cœlum ardua ſublimitate fuerit ſuſpenſum; quibus modis pigro ad imum delapſa pondere terra ſubſiſteret; quo moderamine libratus aër eidem circumfunderetur; quas

(a) *Eccl. c. 17.*

(b) *Apud Pinedam de reb. Salom. l. 3. c. 21.*

quas inter littorum metas liquidi elementi exæſtuaret impatiens fluxus; quod omnium rerum eſſet principium, quis finis, quæ media, quæ diviſiones mutationéſque temporum; quæ annorum mutua viciſſitudo redeunte orbe ſibi ſuccederet; unde ſtellæ in varios agerentur curſus præcedendo ſe nonnunquam, aut ſubitò ſuccedendo; quàm deníque admirabile eſſet nomen DEI in univerſa terra, & elevata magnificentia ejus ſuper omnes cælos. Hæc, & ſimilia lego prædicari de Sapientiſſimi Regis parente, de mirabilium patratore Moyſe, (a) de viris plurimis, non minori Sapientiæ, quàm Sanctitatis famâ electis; & ex animo credo: quid enim amicos ſuos celaret Deus, quibus non tantum in obvijs, & oculo ſe ſe infundentibus creaturis; ſed vel maximè in ſtupendis utriúſque orbis operibus potentiam ſuam manifeſtare voluit, & dulciſſimæ pietatis ſenſum excitare? Quare nos quóque perſvaſum habeamus, AA. hanc dulcedinem denegatam non

(a) *Actor. c. 7. & Philo: Iud. l. 1. de vita Moyſis.*

non fuisse destinatæ DEI Matri, ut quæ *dilectissima dilectarum* (a) semper fuit amica, quæque dulcissimo Virginei lactis fonte illum erat potatura. Et si alijs Mathematicarum rerum peritis tam perspicaces oculos concedimus, ut Dioptricæ ductu remotissima sive in cælo sive in terra, vel viderint, vel videre potuerint, consimiles quóque filiali obtutu observemus in Magna Virgine, de qua in panegyrico suo jam pridem cecinit Sponsus: *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon*, quæ sunt in porta filiæ multitudinis; (b) illius nimirum filiæ, quam Rabbi Salomon vocat Hierusalem, cujus *Sapientes sedent in portis, & occupantur in ratione revolutionum & siderum; Sapientia enim & eruditio sunt oculi populorum.* Credemus Chaldaicæ paraphrasi, scribas urbis illius fuisse *plenos Sapientiâ, sicut piscina aquarum; & scivisse constituere rationes embolismorum, & años intercalare, & signare principia añorum, mensiúmque in porta Domus consilij magni*: & dubitabimus, an in ipsa divinæ Sapientiæ Domo, inque *Sacrario totius*

(a) *B. Rup. l. 4. in Cant.*

(b) *Cant. c. 7.*

(a) S. Petr. Dam. ser. 3. de Nat. B.V. *totius Divinitatis* (a) defuerit aliquid ad illius ſcientiæ plenitudinem ? Ah lubeat pronius veriúſque ſentire de Virgine ! Lubeat illud altius ſæpiúſque repetere: *Memoriam fecit mirabilium ſuorum* (a) Deus, non tantùm opera digitorum , ſed potentiam quóque brachij revelando Mariæ; quæ, ſi Sacrarum litterarum Doctoribus credimus, *cum eo erat cuncta componens* , ſive cunctorum congruas perfectiones ac cognitiones recipiens , quando ſummus ille univerſi architectus utrúmque præparavit orbem, minores cælorum globos incluſit majoribus , coagmentavit ſphæras, diurna necturnáque lumina digeſſit ordine , libravit aquarum fontes , terminis conſtrinxit oceanum , circumfudit aërem , dimenſus eſt terrarum amplitudinem, camporum planitiem , montium altitudinem , vallium profunditatem, ſicque ſupernam infernámque molem mortalium admirationi propoſuit. Tunc tunc (liceat hîc loqui verbis Joannis Geometræ) MARIA *totam ſummi artificis hauſit*

(b) Pſ. 110.

hausit artem, (a) cujus eruditis considerationibus post evolvenda sæcula erat refulsura: tunc amplissima contemplationum explicabatur materia, & divinarum laudum argumenta mente præditis accumulabantur. Certè ausim dicere, quid ego tranquilla mente non semel volutârim, dum hanc stupescendam sive terrestris, sive cælestis globi structuram contemplarer, & ab hac ad humanarum molitionum miracula curiosum animum nonnunquam deflecterem. Quid sunt, cogitabam, tam diffusæ murorum structuræ, instar urbium assurgentes, & non uniꝰ solummodo populi capaces, quas ad subtilem artis perfectionem mortales artifices elaborârunt, si cum hac utriúsque orbis fabrica conferantur? Et concludebam, esse ludibria, nugas, ferè nihil. Vbi sunt, quærebam ex veterum historiarum monumentis, qui excitandis similium operum molibus non solùm immensam divitarum copiam, sed insuper plurimorum artificum ingenia,

(a) *Hym. 3. apud de Flores p. 2. ad v. 5. Eccl.*

nia, viréſque conſumpſerunt? & reperi ſupereſſe inania nomina. Ex Plinio (a) occurrit Epheſiæ Dianæ templum, in cujus magnificentiam ducentis añis tota ſe ſe impendit Aſia; ex Diodoro Siculo (b) occurrerunt muri Babylonij, quos ob ſui vaſtitatem & longitudinem perſpicaci hominum viſu metiri oportebat; ex authoribus alijs occurrêre ſuſpiciendæ pyramides Ægypti, conſtructum ab Artemiſia Mauſoli ſepulchrũ, erectus apud Rhodios ſolis coloſſus, adorata Jovis Olympij ſtatua; aliáque iſtiuſmodi machinarum portenta, ſuis in ruinis jam pridem obſoleta, occurrêre. Et quem in finem conſtructa? nimirum, ut potentiæ artíſque ſuæ gloriam tranſcriberent poſteris, eóſque raperent in ſui venerationem tantorum facti authores miraculorum. Ergo homo, inferebam, relictis potentiæ vel artis ſuæ monumentis cultum, laudémque meretur apud homines? Meretur; Deo, qui nullius indigus, ſe ſolo ſibi ſufficiens, unius vocis imperio, cælum

(a) *Hiſtor: natur: l. 36. c. 14.*

(b) *Lib. 3. c. 3.*

cælum, terram & creaturas omnes vocavit è nihilo, non tribuetur? Absit. Sed â quibus? A creaturis; præsertim gratissimis, & amantem redamantibus. Bene habet. Relinquamus proinde alijs Ægypti pyramides, muros Babylonios, Ephesina templa, Regum Mausolæa, Rhodiorum colossos, Jovis Olympij statuas, turres Ptolomæi, & si quæ sunt alia operum mirandorum monstra: ibi aciem oculorum suorum impendant; ibi stupescant profusos regnorum thesauros, artificum ingenia, ornamentorum varietatem & magnificentiam; ibi palpent, ac venerentur eorum conditores, immortalitate nominis insanè abreptos; nos verò intrepidè profiteamur, Deiparentem & corporis, & mentis oculos fixisse in illustrem illam orbium supernorum vastitatem (prô quantum miraculum!) & absolutissimam eorundem structuram considerâsse clarissimis cognitionibus, quas ei Deus tum ad proliciendos admirationis, gratitudinis & amoris affectus, tum

ad singulare tantæ Matris ornamentum liberaliter infudit. Imò verò quid opinari aut asseverare vetat, ipsa astra sæpius inspecta, velut faces, præivisse, ut suprema quidem Dei potentia etiam hac ratione monstraretur Mariæ; sed præcipuè ut mens ejus ad intimæ Divinitatis lucem, quam *inaccessibilem habitat*, per extima luminum theatra paulatim deduceretur? Hinc suspicor, eam tunc quoq; abijsse ultra cœlum Lunæ, sagacique oculo lustrâsse illum orbem, quando Apocalyptica Aquila, supernas faces intueri assueta, vidit *lunam sub pedibus ejus.* (a) Hinc infero, Regium Psalten & Prophetam verissimè prænuntiasse: Deum *in sole posuisse tabernaculum suum*, (b) ejusdemque fulgoribus amictam postea ac visam mulierem, (c) quando Maria solis regionem ingressa eundem longè profundiùs speculata est, quàm quiscunque docta ecstasi in illum defixus, aut maculoso, seu nimio lucis turbine perstrictus. Hinc arguo, facili mente pervagatam fuisse illius, quem Martem

(a) Apocal. c. 12.

(b) Ps. 18.

(c) Apocal. ibid.

Martem indigitant, Planetæ Domum, atque inde *terribilem ut castrorum aciem ordinatam* (a) in prælia providisse. Hinc colligo progressam ulterius immisisse in ipsas stellas ingeniosum caput suum, quia cuidam contentis subinde oculis intuenti refulsit *corona stellarum duodecim in capite ejus.* (b) Hinc autumo, neminem melius evolvere potuisse Zodiaci signa, neque congruentius differere de regum ductrice, ac moderatrice stellâ, quæ orta est ex Jacob; (c) num scilicet è viscosis putrescentis terræ vaporibus, enata, vel ex compactis stellarum corporibus composita, vel aliunde â *Patre luminum* in Filij sui nativitate fuerit accensa. Hinc denique contendo, neque Magnum Dionysium Areopagitam, aut majores illo Astrologos aptiore conceptu repræsentasse; quomodo, moriente DEO, nunquam aliàs visa solis meridiani defectio terram tenebris & atra caligine induerit, quàm conceperit MARIA, quæ semper aliàs in concipienda *Veritate* felicissima extitit; & cui hæc

(a) *Cantic. c. 6.*

(b) *Apocal. ibid.*

(c) *Num. c. 24.*

omnia suis temporibus vel in gaudium, vel in solatium perspecta esse condecebat; multúmque proficiebat. Ut nullus jam dubitem, copiosos exinde nactam fuisse tam variæ pietatis proventus, quibus abundantius communita ad meritorum apicem per vias multiplices procurrebat. Ex creati enim solis consideratione abierit in contemplationem *Solis Justitiæ*, in quo cùm nullas inveniret maculas Virgo sine macula, tota abrepta fuit ejus pulchritudine. Dum *pulchra ut luna*, per indaginem non tam oculorum, quàm profundæ mentis, exploraret lunarem orbem, notarétque in cursu suo sidus esse celerrimum; incitaverit se se, simúlque exultaverit ad currendam viam amplissimæ sanctitatis, potenter interim in clientes suos influens, ut quàm plurimos haberet sui sequaces, seu lunaticos. Ex ordinario velati seu opacati solis deliquio occurrere poterat, & occurrisse vix dubito, se quoque virgineo utero totum aliquando velâsse, ac contexisse Justitiæ solem,

ſolem, ideóque admirandam, atque ab omni retro æternitate nunquam viſam, eclipſim confeciſſe. Per reliquas in firmamento ſuccenſas faces eluctata fuerit ad *Lumen gloriæ*, æternæ illi beatitatis luci ſe penitus immerſura, quæ quidem in umbra mortis nunquam, in ſpontaneæ tamen profundiſſimæque humilitatis tenebris plerumque latitabat. Ex veteri demum ſæpiuſque inſpecto ſolis circulo novum ſibi tunc combinârit Zodiacum, quando cœlum ſe ſe in terram effudit, & in adulta nocte Solem æternum, per nubem humanæ carnis refulgentem, ſecuta ſunt non tantùm multitudo militiæ cœleſtis; ſed ipſa quoque ſidera, lucem ſuam in terris mutuatura. Ibi Filia Solis, Maria vidit *Geminas* in unam perſonam coaluiſſe naturas; agnovit, ſe Matrem Numinis eſſe ſimulque *Virginem*; advertit per Agnum Dei, qui tollit peccata mundi, repræſentari *Arietem*; conſpexit ad cunas cornibus onuſtum *Taurum*; indoluit duris exerceri, ac indureſcere *Leonem* de tribu Juda;

deprehendit Deum â majeſtate ſua tantiſper retroceſſiſſe velut *Cancrum*; adoravit quieſcétem ſuper fœno, qui ſalijt â montibus æternis, *Capreolum*; notavit dulcium lacrymarum imbre inundare *Aquarium*; intuita eſt jacentem in præſepio, *Piſciculorum* inſtar, Infantem; ingemuit rigidam ad divinæ juſtitiæ *Libram* exigi pro peccatis noſtris ſatisfactionem; ſenſit nata ſalute infirmari, qui nos in parentibus intoxicârat, *Scorpium*; ſpectavit denique divinum *Sagittarium* quaqua verſum jacere ſagittas, ut amore ſui vulneraret mortales univerſos. O verè ingenioſam Matheſeos Magiſtram! O ſedulam piéque operoſam apiculam, quæ ex obvia rerum creatarum ſcena mella ſuxit dulciſſimæ devotionis! Decernite proinde, AA. humaniſſimi, decernite, obſecro, an non Mariano zelo caſtigandi ſint, qui vel audacter negant, vel meticulosè dubitant, num ad reliquam gratiarum abundantiam Deus Matri ſuæ hanc ſufflammandæ pietatis materiam addiderit; illi

illi verò deprædicandi, qui prono intellectûs obſequio in noſtram ſententiam abeunt, & theſauris ejus exiſtimant aliquid defuturum fuiſſe, ſi in liberali donorum ſuorum effuſione perfectâ mathematum ſcientiâ MARIAM non donâſſet. Decreviſtis? Sic mihi de vobis perſuadeo, ſic ego quoque decerno. Quare veniâ veſtrâ, conſenſu veſtro, authoritate veſtra, quâ poſſum ſinceri cordis abundantiâ, vocis contentione, manuum plauſu, totiúſque corporis lætiſſimo geſtu laudo, & prædico Marianos præcones omnes, ſimúlque dignos pronuntio, quorum nomina quàm primùm, adhuc hodie, hâc horâ, hoc momento, per omnes Arithmeticæ numeros feſtivè multiplicentur, per mellitiſſimæ Muſicæ ſonos alacriter canantur, per ingenioſas Geometriæ formas & figuras artificioſè ducantur, & denique in famoſis Architecturæ operibus, operum propylæis, laquearibus, atrijs fornicibus, ſcribantur, ſculpantur, & legantur. Legentur non dubito

ingentia nomina Bernardi, Alberti, Bonaventuræ, Antonini, Gersonis, Amadæi, & celeberrimorũ Authorum, qui vel disertis verbis, vel involutis, sed facilè evolvendis, ratiocinijs comprobant, DEI Matrem celebrari oportere omnium Alpha Mathematicorum. Eorum dico, qui ingenuas Matheseos disciplinas non alio ingenij calore pertractant, quàm qui graves, & litterarum sobrietati deditos viros decet; non verò qui infructuoso studij temporisque impendio fucum, seu potius artis mendacia venditant. Semper enim exosos putabam illos, qui vel cum Archimede rerum mathematicarum amoribus nimium abrepti, etiam in balneis, per ipsa unctorum corporum suorum balsama lineas ducunt; vel cum Thalete siderati ex astrorum aspectibus infallibiles futurorum rationes colligunt pro alijs, ad sua exitia fortunasve plerumque cæci; vel cum quibusdam ex Philosophorum Lyceis ad mechanicas opificum officinas transeunt, ibique non aureum Mer-

Mercurium ex metallis aut lapidibus, ubi non est; sed nobilissimam hominis partem, ingenium, ex cerebro suo extrahunt, atque in furnum fumúmque emittunt, verè adusti fumosique Mathematici.

Quales dùm ego hìc aversor, summùm extollo illos, qui nugivendulos hos, & inanium rerum sectatores veritate scientiæ confundunt, intemperiem temperantiâ castigant, levium ingeniorum libertatem gravitate comprimunt; & Philosophiam sinceram, seu in ipso fundo â Deiparente haustam sapientibus propinant. Veneror viros magnos Clavium, Voëllum, Kepplerum, Grienbergerum, Ricciolum, Scheinerum, Adamum Schall, & Gregorium â S. Vincentio; suspicio miraculum temporis nostri Athanasium, qui in ipso mundi corde, Roma, plurimis cordi est; & quia scio, hujus & illorum mathemata Divæ Matri multis titulis esse devota, adeóque Mariana; eapropter omnes alios adhortor, qui facultati huic operam suam addicunt,

dicunt, ut eorum exemplo néque in Superiorem, néque in inferiorem orbem cogitationes ſuas, ſine præſidio Virginis unquam immittant. Hanc velim ſequantur Magiſtram, ut diligentes diſcipuli; hanc Patronam colant, ut devoti clientes: & non dubito, quin in hoc amæniſſimo ſtudio inſignes facturi ſint progreſſus, atque hunc laboris fructum aliquando relaturi, ut poſt menſos vitæ ſuæ obtuſos angulos, vel acutos triangulos, poſt extractas difficilis viæ lineas & recti-lineas, poſt evolutos errorum circulos, & ſemicirculos, poſt præteritam mundi hujus multifariam figuram, mors ultima linea rerum exactiſſimè fiat, & ab hac demum progrediantur ad magnum æternitatis circulum, in quo noſtræ beatitudinis eſt punctum.

Dixi.

PRÆCONIUM.

Medicum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medela. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Ecclesiastici c. 38.

ORATIO VIII.

MARIA, ad humani corporis sanitatem tuendam, morbósque profligandos erudita, ideóque Magistra Medicinæ.

INgentem morborum luem in humana corpora ex unico morsu defluxisse, à quo viventium parens suam, filiorúmque suorum animas in arboris

arboris prohibitæ fructu per insi-
gnem audaciam momordit; testes
sunt multiplices, bolum illum con-
tinuò ructantium stomachorum
nauseæ, testes diffusi per membra
sangvinis corruptelæ, testes articu-
lorum nervorúmque langvores, te-
stes vertigines capitum, tormenta
coxendicum, puncturæ laterum, do-
lores podagræ, æstus febrium, vo-
racitates hecticæ, aquarum sub cu-
te confluvia, & sexcenta infirmita-
tum genera, justissimo Dei judicio
immissa in pœnam utrorúmque pa-
rentis & liberorum. O morsum,
tot sæculis insanabilem! O generis
humani stragem, nullo verborum
ambitu satis explicandam! O lu-
ctuosum posteris casum, ex tam
amœna regione ac sanitatis aura in
tam multiplices miserias cecidisse!

Atque hinc illæ lacrymæ. Sed quid
aliud expectetis è valle lacrymarum?
Hinc, inquam, illæ lacrymæ, quas in
tantis ærumnarum fluctibus humana
progenies per tot ætates ideo fortas-
se bibere coacta est, ut crudum illum

pomi bolum digereret, & inſpiratum *Spiraculum vitæ* (a) non penitus ſuffocaret. Hinc illæ in vultu, totóque corpore prorumpentes ſudoris guttæ; quia per *Sudoriferum* quóque hauſtam fructûs malignitatem conabatur homo propellere, dum *in ſudore vultus* ſui veſcebatur pane. (b) Hinc breve illud, ſed amarum, Saluberrimum tamen, *Recipe: Comedes herbam terræ*, (c) ut Herbaria quóque tanto malo medelam ſuam non negaret. Hinc illi lacrymarum inſperſi ſales ad prævertendam ulteriorem corruptionem; ſiquidem extractus de pomo ſuccus in corpore parentum jam tunc fortè computruiſſet, & atra dein bile commixtus propagandum in poſteris ſangvinem magìs corrupiſſet, quæ non exigua, teſte Gregorio Nyſſeno, (d) gravium causa morborum â Medicinæ peritis ſolet aſſignari.

(a) *Geneſ. c. 2.*

(b) *Ibidem c. 3.*

(c) *Ibidem.*

(d) *Orat: 2. de paup. amandis.*

Quanquàm quis arguat, quaſi putreſcentis humoris cum atra bile comixtio tantornm fuiſſet cauſa malorum; cùm neque rationis, neque

autho-

authoritatis alicujus pondus ullam præstet sic arguendi soliditatem. Quid si illa non inanis fuisset ratio, quòd infecto vigoris fonte, animâ, non potuerit sibi constare salubritas corporis; vel non decuerit infirmato per inobedientiam Spiritu, valere illam, de Damascena gleba formatam massam carneam? Nisi fortè jam abieritis in sententiam Senecæ, (a) â capitis vigore membrorum sanitatem inferentis: tunc enim verò necesse foret, eâdem ratione asserere, quemadmodum â sano capite bonam, ita ab insano valetudinem adversam fuisse derivatam, postquam in uno generis humani capite *semel insanivimus omnes.* Sed mittamus indagatrices similium cogitationes, & in eos inquiramus, qui haustam medicæ opis scientiam tot ægritudinibus apprimè hactenus impertiverunt, ac præcipuâ quadam dexteritate mortalium saluti subservierunt. Revocemus evoluti temporis spatia, examinemus sæcula, interrogemus orbis regna, regnorum pro-

(a) *Lib.* 12. *de Clem. c.* 2.

provincias & civitates, ecquos aliquando habuerint ægrotantium curatores, adeo dignos, ut omnium oribus ac famâ circumferrentur? Dicent sine dubio Pargameni Medicos inter eloquentissimum, eloquentissimos inter acutissimum Galenum suum: dicent Persæ Galeno supparem Avicennam, quòd eum exæquarit curandi peritiâ, si non librorum â se scriptorum multitudine: dicent Romani Æsculapium *Salutem publicam*, eúmque divinis celebrabunt honoribus: dicentCoi Hippocratem Medicorum clarissimum, â cujus ingenij jubare, ut dies â sole, Medicinæ scientia, tenebris jam pene sepulta, lucem mutuavit: dicent Græci Machaonem & Podalirium maximos sanitatum vindices; qui, ut aliàs, ita ardente ad Troiam bello, militum sauciorum vulnera scitissimè persanârunt: dicent orientis Ecclesiæ Panegyristæ præcelluisse nobile par fratrum Cosmam & Damianum, quòd & corpora ex gravissima morborum pernicie, & vitas ex

præſentiſſimæ mortis periculo, & animas ex hiantis orci faucibus eripuerint: dicent alij, complures alios pellendarum ægritudinum fuiſſe peritiſſimos; ego tamen nutu tuo, affectu tuo, ore tuo, O Excellentiſſima Facultas Medica, dicam tam verè, quàm confidenter, poſt natos mulierum (Filium Virginis excipio) in medendi ſcientia non fuiſſe præſtantiorem Mariâ, ideóque & Galenos, & Æſculapios, & Hippocrates omnes Magiſterij hujus laude antecesſiſſe. Quod dum ſentio, neminem quóque veſtrûm dubitare, arbitror, AA. Deiparentis corpus, illud mundi miraculum, pulchritudinis epitome, dignúmque ſingulari animâ domicilium ita â naturæ benignitate fuiſſe præparatum ac formatum, ut quam inter præcipuas corporis dotes numerarunt ſanitatem Philoſophi cum Platone(a), eandem illi non negaverit, ſed liberali magnóque beneficio communicâverit. Exaggerâſſe námque in ea venuſtatis omnigenæ decora; formâſſe

(a) *Plato lib. 1. de legibus.*

ſe benignâ ſolertique induſtria Virgi-neos artus; projeciſſe animi ſemina in oculos, majeſtatem in ſupercilia, candorem in frontem, ruborem in genas, cruorem in venas, robur in nervos, decentem agilitatem in membra, pulcherrimam deníque Symetriam induxiſſe in corpus universum; permiſiſſe tamen in eo ægritudinem, ſeu ab intrinſeca partium ſeditione diſcordiam, quam D. Nazianzenus (a) corporum vocat tyrannidem; quid aliud eſt, quàm reliquiſſe in veſte purpurea tineam, in arboris folio erucam, in herba locuſtam, in ſemine formicam, ſcarabeum in roſarum liliorúmq; areola? Aliter profectò ſenſerunt Dionyſius Carthuſianus (b) & Sorbonæ cancellis præpoſitus Gerſon, (c) quorum alter virgineo corpori *optimam dabat compaginem*; alter *omnem ſanitatem, harmoniam, & temperantiã complexionis* attribuebat. Aliter & nos opinari oportet, ſi conſultum imus Deiparæ dignitati, quam Authores Sapientiâ non magis, quàm probitate

(a) *Orat:* 42.

(b) *l. 2. de laud. B. V.*

(c) *Gerſon ſer: de Conc: B. V.*

(a) *Suarez tom. 2. in 3. p. dis: 2. sec. 2. Galat. l. 7. c. 10. Caiet: opusc. de Spasmo Virg.*
(b) *Authores apud Carthagen: l. 13. hom. 4.*
(c) *Guarr: Abb. ser. 3. de Annun.*

conspicui (a) ex ingeniorum suorum fœcunditate differentes semper admirati, & vel ideo Virginem nullo unquam morbo contemeratam cum alijs (b) sunt venerati. Sed quæri tamen posset, cui felicitas hæc, & ab omni veræ ægritudinis molestia immunitas sit adscribenda? num continuæ divinæ virtutis operationi, quâ Marianum corpus, viribus suis fortasse impar, singulariter fuit conservatum, & contra omnes morborum, unde unde prorumpentium insultus defensum? Scio quidem, illam, de qua agimus, *totam dici miraculum*; (c) in eam tamen sententiam abire, severiùs prohibet præsens orationis materia. An tribuenda quatuor virtutum, seu principum qualitatum, humoris scilicet & frigoris, siccitatis & caloris concordiæ, miniméque mutabili temperiei, quam in primo membrorum rudimento ad omnem futuram ætatem Deus æquavit semel, & stabilivit? Veneror Supremi Numinis manum, in Virginea illa molitione providè opera-

operatricem; ad causæ tamen meæ robur aliter loqui vestra sinet benevolentia. An ministerijs obsequiosorum in salutem nostram cæli Spirituum, præsertim Raphaëlis, magni *sanitatum præsidis*, (a) quibus ex imperio Numinis, Matris incumbebat custodia, & ab omnis morbi contagione præservatio? Suspicio etiam beatissimam illam, felicissimámque sanitatis ministram mentem, Raphaëlem, cæterósque de cælo Spiritus; inclinari tamen necdum possum, ut sententiæ huic subscribam, sinámque in angelorum laudem trahi, quod ipsam eorum Reginam singulariter exornat, atque commendat. Non enim licere videtur, debitum laudationis splendorem derogare Dominæ, ut domestici ejus, jam ante laudum duplicibus vestiti, magìs illustrentur. Et injuriam non levem existimo, suis titulis heram exuere, ut ijsdem servos & ministros convestiamus. Suum cuíque decernendum est encomium, ut ad reliquas quóque panegyres Excellentissima

(a) *S. Hieron. in c. 8. Daniel.*

Medica audiat Dei Mater. Enimverò quid dicere vetat, eam ideo saniſſimo ſemper conſtitiſſe corpore, quia perfectiſſima Archiatra non magis ſcivit corrupta morbis aliorum corpora Pharmaceuticæ medicatu curare, quàm in proprio, per alteram primam artis medicæ partem Prophilacticen; obſervato complexionis temperamento, præſentire, & imminentes ex inſidijs ægritudines antevertere? Reliquarum ſcientiarum flumina ex æternæ Sapientiæ oceano in eam derivata fuiſſe ad eximium ornamentum, & non etiam Medicæ diſciplinæ brachium ſe eò extendiſſe putabimus? Quorſum illa herbarum, ſtirpium, fructuum, eſcarum, animalium, metallorum, lapidum, & rerum vel medendi, vel nocendi virtute pollentium cognitio, quam eminentem in Virgine propugnant Interpretes, (a) roborant SS. Patres? (b) Quorſum nobilis illa notitia, quâ tam varios quàm conſtantes in hæc inferiora influxus, & aëris illi nocui, huic proficui

(a) Chriſtoph. Viega in Theol. Mariana.
(b) Albert. Magnus trac: ſuper Miſſus. & alij apud Carthagen.

ficui viciſſitudinem perſpicuè diſcernebat, quámque in illa excellentem fuiſſe ſentiunt Marianorum decorum Commentatores? An cogitabimus iſtis Medicæ Scientiæ luminibus inſtructam Virginem in ſolis ſpeculationibus fixiſſe mentem, & non ijs etiam præluxiſſe ſeu ſibi ad conſervandam, ſeu alijs ad procurandam corporum ſanitatem & incolumitatem? Profectò ſi animos noſtros alia tenet ratiocinatio, Patronæ placitis non reſpondemus clientes; & Deum aliquid feciſſe, negamus ingrati, quo & ipſe gloriari, & Matrem ſuam amplius commendare, & humano generi abundantius prodeſſe potuit, ac voluit perlibenter. Scimus enim verò ex Anſelmo (a) Sanctiſſimo Oratore, hoc de Sancta Virgine prædicari, *quòd, quia Mater Dei eſt, excedat omnem altitudinem, quæ poſt Deum dici, vel cogitari poteſt*: ſcimus hac dignitate Matris eò fuiſſe ſubvectam, ut dici poſſit Affinis æterni Patris, Conſanguinea Verbi, & Sponſa Spiritus Sancti: ſcimus etiam in ex-

(a) *S. Anſel. de excell. Virg. c. 2.*

ornanda Genitrice sua Filium ita laborâsse, ut eam ex communi hominum conditione extractam constituerit Deo vicinam, fecerítque quodamodo divinam, juxta effatum illud Guarrici (a) *Comunicâsti mihi quod homo sum, communicabo tibi, quod Deus sum*: quomodo proinde ambigemus, an ei recluserit arcana Medicinæ, cujus ope, depositis, & jam pene extinctis mortalium corporibus reduces quandóque vitæ infunduntur, quod divinum potius, quàm humanum opus esse, perhibuit antiquitas? Æsculapij, Podalirij, Machaones, alijque putida quadam adulatione in Deorum aut divinarum prolium numerum relati fuerint, quod hac peritiâ illustres compluribus desperatam reddiderint vitam, & nos tam facilem commendationis materiam subtrahemus DEI Matri? Hippocrati, quòd inter Græcos medendi peritiâ excelleret, Athenienses Eleusinis Sacris, proximam ab Hercule, venerationem detulerint, hominémque quasi Deum coluerint; & nos, quem

(a) *Apud F. Mendoz. in Virid. l. 2. problem.*

quem citra erroris periculum dare possumus, DEI Matri negabimus honorem? In Gallorum Anglorúmque reges hoc suum beneficium gratis profuderit Deus, ut â sola curatione strumarum principes divini celebrarentur ab historicis; & Matri suæ illam scientiam non communicârit, unde divinæ, hoc est, Excellentissimæ titulum potuit adipisci? O quàm mallem potius credere, nullam creaturis omnibus â DEO inditam sublimis excellentiæ materiam, quàm hanc denegatam fuisse MARIÆ! Sed pergamus tamen arguere, ut ad cætera Mariani honoris insignia hoc quoque explicemus, non ut aliqui putant, affingamus; homo siquidem eorum decorum accessionem facere nequit, quæ Deus ipse jam pridem contulit profusâ in Dilectam liberalitate. Memineritis sine dubio, AA. divinis litteris memoriam vobis refricantibus, mundi conditorem Deum, posteaquam primum terræ dominum ex argilla vilique limo, ad imaginem sui, pol-

lice divino efformârat, dixisse: *Faciamus ei adjutorium simile sibi;* (a) memineritis etiam, eo fine originalis justitiæ ac sanctitatis dono illud exornâsse, ut umbra quædam evaderet melioris Evæ, quæ Adamo secundo in nostræ redemptionis ac salutis adjutorium ambabus omnipotentiæ sapientiæque manibus est fabricata; memineritis præterea mulierem illam nihilominus excussisse sanctitatem, profligâsse vitæ integritatem, violâsse Supremi Numinis imperium, invasisse prohibitam arborem, decerpsisse fructum, & per infandam deliberati animi intemperantiam posterorum sanitatem cum mulieroso conjuge suo degulâsse, tantorúmque malorum, de quibus orationis initio, fuisse cooperatricem. Potuit igitur prima parens Eva concurrere ad perdendam humani generis felicitatem ac sanitatem; & non potuerit secunda ac beatior Eva Maria cooperari ad eandem recuperandam, artéque medica stabiliendam? Potuit illa ex unius arboris fructu

(a) Gen. c. 2.

pe-

pestiferæ labis succum trahere, illóque propinato nos ita corrumpere, ut nihil integrum usquam, nihil sincerum, nihil non communi clade, noxáque depravatum maneret; & non potuerit ista ex benedicto fructu ventris sui habere pharmacum, quo nos lethalis, ac miserrimi morbi violentiâ contabescentes ad pristinum reduceret vigorem? O quàm ineptus, quàm durus sum ad fidei humanæ obsequium hîc denegandum! quàm pronus & facilis ad MARIÆ dotem ac gloriam propugnandam! Ecquid mirum? existimo namque, non tam affectu filiali propellente, quàm luculento sanioris intellectus lumine illustrante, ita quemlibet sentire, neminem dubitare oportere; cùm præsertim constet, Joannem ab ipsa vitiata radice infirmum, mente languidum, & angustijs mortalitatis adhuc laborantem ex illo saluberrimo fructu respirâsse, exultâsse. Libenter proinde cum Tertulliano, (a) Arnoldo Carnotensi, (b) & Mellifluo Bernardo (c) Mariam recito verum

(a) *Tertul. l. 2. contra Marc c. 4.*
(b) *Tract. de laud. B. V.*
(b) *S. Bern. hom: 2. super Missus.*

verum secundi Adami, hoc est, Christi adjutorium, quamvis ex eodem Beato Arnoldo non ignorem, *Jesum alieno adjutorio non indiguisse, qui dixit: factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* Imò ausim calentissimis Dionysij Richelij vestigijs fidenter insistere, similique Laconismo asserere: *Quemadmodum vir non sine cooperante fœmina mundum infirmavit, sic nec absque concausante muliere vir mundum restabilivit.* (a) Ubi denuo memoriam subit infelix pariter ac felix illud sæculum, quo è regalibus sedibus venientem Deum Virgineo excepit, reddiditque utero Maria. Tunc enim, tunc (loquor cum S. Augustino) *Magnus de cœlo venit Medicus, quia magnus per orbem terræ jacebat ægrotus.* (b) Fatigatis nisibus luctabatur tunc humana progenies cum continua infirmitatum serie; curis anxia, doloribus exhausta, ærumnis obruta, luctibus oppressa expectabat nobilissimum, qui morbis mederetur Archiatrum, & eundem, novem mensium intercapedine, felicissimè demum

(a) *l. 2. de præcon. & dign. B. V. ar. 9.*

(b) *S. Aug. serm. 9. de verbis Apost.*

mum obtinuit. Cùm enim gentium imperatrix Roma, ex effreni dominatûs sui arrogantia, singula subditorum recenseret capita, nimium quantum insanientia, ex Nazareth, civitate florea in Bethleem ascendit Radix Jesse Maria, ibique beatissimo partu saluberrimum florem (Arborem vitæ dicere malunt alij) filium suum primogenitum protulit, qui, ut eloquentissimus nonnemo asserit, in patentissimis campis optimi Medici daturus specimen, statim cæpit ipse infirmitates nostras portare. Hinc quia sanguis noster in eo nimium infirmus erat, septima post nativitatem die sanguinem mittendum censuit, ut ex arcanis Chirurgiæ luculenter proderet, quod Hippocrates, & Galenus pridem docuere: *In acutis morbis, si ætas floruerit, utendum esse phlebotomiâ.* Ulterius dein cum ætate progressus ulteriora dedit artis experimenta, quia nunquam remittebat â curatione corporum, quamvis mercaturæ intenderet animorum. Secedens enim in partes Tyri & Sidonis

donis reddidit filiæ salutem corporis; matris verò in fide sanavit animam. (a) Vocatus â Centurione, quam rogabatur sanitatem, impertijt servo; & cœli luce destitutam mentem illustravit domini. (b) Ascendens Hierosolymam apud pecuariam (c) piscinam, sub porticu, succurrit annosæ calamitati, & interrogationis argutiâ vecordiam sustulit voluntati. Intendens medicæ charitatis iter obvios subinde habuit decem leprosos, quos omnes corporis valetudine munditiéque donatos dimisit; & felicis curationis gloriam ab alienigena extorsit. (d) Pertransiens Judæam, Gallilæam, & Samariam cæcis visum, surdis auditum, claudis rectitudinem, mutis verborum copiam, languentibus robur, aridis succum, paralyticis membrorum vigorem largitus; & temporalem impensi beneficij mercedem nullam expetivit. Adeo liberalis fuit hic sanitatum baiulus! adeo gnarus& peritus Medicus, ut etiam pertransiens nesciret transire morbidos,

ac

(a) *Matt:* 15. *Mar: c.* 7.

(b) *Matt: c.* 8. *Luc. c.* 7.

(c) *S. Hieron. in Comment.*

(d) *Luc. c.* 17.

ac ærumnosos, quin optatissimo successu curaret.

Jam quis ambigat prudentissimam Matrem, cum hoc Doctore annis compluribus versatam, familiari ejus consuetudine communicâsse quàm plurima, quibus felicissimum ingenium ampliùs exornaretur? Alijs Medicæ artis discipulis concedent nonnulli, si peracto tirocinio, ex Professoris cujusdam eruditissima domo ad procurandam corporum humanorum salutem dimittantur, eos velut alteros Hippocrates è templo Æsculapij venire medendi scientiâ tumidos; nos inficiabimur Matrem Virginem, quæ non tantum è domo, institutione, usu, frequentissimóque complexu Filij sui prodijt, ita edoctam, ut saluberrimam ægrotis medicinam posset adhibere? Neget tamen, qui audet: mihi profectò voluntarius hic erit semper credendi articulus, Partheno-Matrem *Excellentissimam* fuisse, adeóque Medicam medicorum. Neque opinor ullum, in hanc saltem lectissimam Auditorum coro-

coronam, implexum esse, cui veniret in mentem de tam pulchro articulo dubitare, taceo resilire. Quis enim medicam neget, quæ ut febrilem ac tabificam ægritudinem vel anteverteret sibi, vel amoveret alijs, caput contrivit serpentis illius, ex cujus venenato sibilo tota malorum Ilias profluxit? Quis medicam neget, quæ, velut balsamum aromatizans, odorem sparsit fragrantissimum, quo vel infirmorũ, deliquia patientium, vires â fuga revocaret, vel diffusam ab ipsis colubris malignitatem pestis felicius enervaret? Quis medicam neget, quæ talia robustæ veneni potentiæ adhibere nôrat antidota, ut illæso pede, reliquoque corpore, super aspidem & basiliscum ambularet, & conculcaret leonem & draconem? Quis medicam neget, quæ blandè tractandorum ægrotantium perita, cum in primo generis nostri capite dolorem longævum pateremur, alterum ejusdem generis Caput, infirmitatum nostrarum baiulum panneis vinculis molliter colligavit?

Quis

Quis Medicam neget, quæ ut commansum in paradiso fructum, illum insalubrem, crudum, & ob immaturitatem digestu difficilem bolũ concoqueremus, benedictum fructum ventris sui adeo subtiliter temperavit, ut eum in alexipharmacum non daret sine *Unione* cum *Verbo*, quòd sciret â pretiosè medentibus medicinas quandoque confici unione? Quis Medicam neget, quæ prudenter medicéq; considerans provectam mundi ægrotantis ætatem, ut conveniens adhiberet remedium octidui Filij sui propinavit sanguinem ad robur novum? Est enim svadente Marsilio Ficino (a) singulare, & dictante Lessio (b) licitum omnino medicamen: bullientem, ac è teneris adolescentum venis detractum, potare sanguinem, ad conciliandum senili corpori vigorem. Ite nunc arrogantia Medicorum agmina; ite, & ad gloriæ vestræ tumorem jactate artem modúmque medendi; efferte vos supra humanæ conditionis fastigium; ambite divinis compellari

(a) *Marsil: F. de sanit: tuenda.*

(b) *Less de Iure & Iust: l. 4. c. 3. d. 2.*

titulis, quia curandis morbis divinas, judicio veſtro, reperiſtis medicinas; vocate alexipharmaca veſtra cum Philone Medico *Deorum manus*; inſignite compoſitiones veſtras cum alijs Archiatris *Manus Chriſti*, cum alijs *Apoſtolicon*, cum alijs *Gratiam Dei*, cum alijs *Antidotum Paulinum*: una noſtra Medicinæ Magiſtra unum interim dabit, quamvis alia non ignoret, morborum remediũ efficaciſſimum, ſanctiſſimum, diviniſſimum, *JESU CHRISTI carnem & ſanguinem*. Præſcribite infirmis veſtris delicatarum benéque coctarum carnium delicias; una curatrix noſtra porriget *Medicinam omnium in feſtinatione nebulæ*, (a) hoc eſt, de carne Chriſti, (b) quæ *de terra virginali exorta, nullo peccati pondere prægravata, ultra puritatem angelorum elevata, calore Spiritus Sancti formata, igne exceſſivi amoris in ultima cœna eſt excocta.* Qua unâ quidquid ægritudinum vel ingenioſa hominum imaginatione, vel audaci fingendi licentiâ excogitari poteſt, feliciſſimo ſanitatis & immortalitatis eventu diſpellet,

(a) *Eccl. c. 43.*
(b) *S. Antonin. 4. par. tit. 15. c. 19. §. 6.*

let, curabit, reſtaurabit. Quapropter non miror jam venerandam SS. Patrum eloquentiam, quâ excellentibus titulis ac nominibus ad eum sublimitatis apicem Magiſtram extollunt, unde Medicorum omnium audit verè Excellentiſſima. Impenditur nimirum illi decorum magnificentia, cui ſuffragium confert nobiliſſimæ artis præſtantia. Non poſſunt non ab ea animari oracula & voces Eccleſiæ puriſſimæ, quibus non ſolùm Spiritus, ſed inſuper Spiritus vitæ liberaliter infunditur. Joanni Damaſceno jam eſt *Pelagus curationum* (a) jam *Fons univerſo orbi medicinam offerens*; (b) Joanni Geometræ eſt *mœrorum medicina*, (c) Alberto Magno *Umbraculum ægrotantium*, (d) Richardo â S. Laurentio (e) *Unguentaria pyxis ad curandos hominum morbos*, Germano Conſtantinopolitano Archiepiſcopo (f) *Debilitatis ſuæ potentia, & inſanabilium vulnerum Medica*, univerſæ denique Eccleſiæ (g) vocaliſſimè canitur *Salus infirmorum*. Vultis plura? Sanctus Ephrem eam celebrat alicubi doctri-

(a) *S. Damaſ. or: 2. de dorm: B. V.*
(b) *Orat: 3. de Aſſ:*
(c) *Hym: 1.*
(d) *Tract: ſuper Miſſus.*
(e) *Lib. 10. de laud. B.V.*
(f) *Orat: de præſent: B.V.*
(g) *In Litan: Laur;*

cem, quæ *mærores sedat, oppressorum molestias lenit, aufert oppressiones*: S. Bonaventura eam suspicit, quòd *illius tactu lenissimo sanentur infirmi, ejus odore roseo mortui reviviscant*: (a) S. Amadæus agnoscit Medicam, quæ *non solùm animarum saluti, verùm etiam humanorum corporum sanitati piá diligentiâ providet, & medetur*: (b) Eruditissimus Cæsarius (c) *apud ipsam*, quæ *hortus est aromatum*, habet *electuaria confortativa, unguenta sanativa, herbas & radices saluberrimas*: alij cum S. Methodo (d) passis anhelantibusque faucibus concurrunt ad eam, veluti ad *Bethleemiticam cisternam*, quam vitæ refocillatricem desideravit David; ex qua sitientibus manavit poculum immortalitatis; non illud quidem Helenæ, quo disperatis prope corporibus sanitatem ac vitam Superstitiosa propinavit antiquitas; sed in quod expressus *Botrus Cypri* omnibus prostat ad salutem, imò, cùm nonnulli liberaliore sanentur haustu, ad insignem ebrietatem. O igitur Archiatram inter omnes Excellentissimam! O dexteram morborum

(a) *S. Bonav. in Psal.* 13.

(b) *Hom.* 1. *de laud. B.V.*

(c) *Lib.* 7. *Mirac. c.* 1.

(d) *Orat. in Hypapan.*

borum ac vulnerum noſtrorum curatricem! O miſericordem ægrotantium Patronam! O ingens afflictorum ſolatium! O fæcundam vitæ parentem! O denique totius generis humani *Publicam Salutem!* Qualem dum ego hodie veneror, talem quoque animis veſtris propoſitam volo, Peritiſſimi Sanitatis Vindices, ut eam non tantùm Excellentiſſimæ Facultatis veſtræ honoretis Magiſtram, ſoli Filio ſecundam; ſed inſuper in hac ſola futuris ſæculis gloriæ veſtræ ponatis præſidium. Primum â vobis jure quodam exigit ejus medendi ſingularis ſcientia, curandiq́; dexteritas; ſecundum rependi poſtulant collata in vos beneficia, & toties porrectum *Immortalitatis pharmacum*, (a) quod de carne, ſuóque ſanguine ipſa confecit, & quo, teſte S. Antonino, (b) *in anima & corpore ſanati ſumus.* Magna profectò ingrati animi foret nota; ſi qua referendi facultate pollemus, non referremus conferenti. Suâ mercede non volunt deſtitui Medici; ſuâ gloriâ privari non

(a) *In Litan: de Venerab.*

(b) *4. par. tit: 15. c. 19. §. 6.*

debet eorum Magiſtra. Agnoſcimus, ampliſſimis honoribus, largiſſimis ſtipendijs, opimis muneribus ex æquo donatos eſſe celeberrimos inferioris hominis curatores; de facunda commendationis mercede, Supremæ in utroque homine Soſpitatrici deferendâ, non hæſitemus. Permittimus illos quandoque ſuſpici, quos diſcere ex periculis noſtris, & experimenta per mortes agere, ait Plinius; ditamus, quos, quia ſol eorum ſucceſſus intuetur, errores autem tellus operit, felices appellat Nicocles; ſuſtentamus, quos, cùm non ſinant infirmos computreſcere, ſed ſtatim è vita liberent, optimos cenſet Pauſanias: de debito Principis Medicorum titulo, quo compellari meretur providentiſſima, & nulli errori obnoxia malorum Curatrix MARIA, non deliberemus. Pergite proinde Excellentiſſimi Domini Medici, afflictorum ſolatia, ſalutis noſtræ fulcra, & totius generis humani vigilantiſſimi conſervatores; pergite, inquam, Magiſtram Veſtram, quanto

quantò poteſtis deveneraꝛi affectu; & ſi ad gloriam ac dignitatem Collegij veſtri putatis aliquando fuiſſe Beatiſſimos Eccleſiæ Patres Chriſtiq; Vicarios, potentes provinciarum principes, ſereniſſimos terrarum reges, auguſtiſſimos gentium ac nationum Monarchas, eò quòd medendi facultatem præclarè tenuerint, ac exercuerint; dicite diſertiſſimè, jactate fuſiſſimè, vos ſummum gloriæ verticem attigiſſe in hac Magiſtra, quæ principum, regum, cæſarum, ipſiuſque Dei Mater eſt; aut ego dicam breviſſimè: *Gloria veſtra nihil eſt.*

PRÆCONIUM.

ADvocati, glorioſæ vocis confiſi munimine, lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm ſi clypeis & thoracibus ſe ſe, patriámque defendant.

dant. B. Petr. Dam. ser: de Resur. D.

ORATIO. IX.

MARIA, justi & iniqui scientiâ Clarissima, generisque humani Advocata, ideóque Magistra Jurisprudentiæ.

ETsi Clarissima Jurisperitorum Collegia divos Germanum Parisiensem, & Lipardum Leonardi fratrem; Juonem Britannum, & Ambrosium Mediolani Præsulem facultatis suæ Magistros pridem delegerint, singularique Sacrorum celebritate ideo coluerint, quòd in eo perfectionis apice aliquando constitissent, unde altissimam juris scientiam cum eximia virtute, litigia cum mititate, dignitates cum modestia, summos honores cum Sanctitate, divitias cum liberalitate pulchrâ conjungerent unione: quia tamen etiam dubitari vix potest, illa magna juris

juris miracula, & pauperum defensores ab ijs ita honorari, ut alium Magistrum, Magistrámve venerentur impensiùs, cujus transfusæ in discipulos artes longè majorem æstimationem sortiantur; exinde confido, futurum, ut apud illos perorem facilius in ea causa, qua Deiparentem supra vertices aliorum collorare intendo, eamque Consultorum Consultissimam prædicare. Dabitis proinde veniam integerrimæ Vindices æquitatis, ut dum vos Divos Tutelares, aut Parentes vestros dicitis provinciarum columnas; ego Mariam audeam appellare basim, cui tota molis pulchritudo superincumbit: dum vos consiliorum vitam in illis agnoscitis; ego hanc propugnem esse animam, â qua non tantùm privatorum animantur consilia, verùm etiam *Corpus juris* universum: dum illos Scientiarum vocatis nucleos; ego hanc asseram esse saporem, quo imbuti & palatis Judicum gustum acuant, & causis clientum condimentum faciant: dum in illos

tanquam in tribunalium lumina intenditis, ego in Maria, luminum illorum parente, oculos meos penitus consumam: dum illos constituitis vigiles aularum curiarúmque oculos; ego pupillam observem Mariam, sine qua etiam apertis cæteroquin oculis cæcutirent.

Enim verò si magnificas illas titulorum voces ideo Magistris vestris attribuitis, quia tanta Jurisprudentiæ laude claruerunt, ut non solùm mortales è litigijs ad trãquillitatem dexterrimè reduxerint; verùm etiam integra regna & provincias ita exornârint, ut in curijs haberent Senatores, in aulis ministros, in consilijs oracula in tribunalibus præsides, in foris judices, & judices quidem instructissimos; cur non majoribus compellaretur nominibus Maria, quæ in Jurium scientia tanto fuit præstantior, quanto diviniori regulâ illa novit conformare? Adeste animis, AA, quos expertus sum benevolentissimos, & quid ponderis adferam ad causæ hujus momẽtum,

quid

quid gravitatis ad dignitatem, quid luminis ad veritatem, excipite, ponderate. Exiſtimo quidem neceſſe non eſſe, ad defendendam extollendámque Mariæ præſtantiam eos provocare, qui Sanctiſſima voluntatum promptitudine Advocatæ noſtræ ſemper ſunt Advocati; quia tamen etiam ultro currentes, certantéſque in ſtadio Stadiodromi amicos admittunt ſtimulos, amántque propelli tanto fortiùs, quanto ardentius ad deſideriorum metam provolant; idcirco placuit animos veſtros, in ſententiam meam alias proniſſimos, amplius animare, ut & deſiderijs veſtris obtemperem, & affectui meo faciam ſatis. Exurge igitur anime, ac in hac materiæ majeſtate; vires tuas eò potentius exere, quo magis illa te percellere, terroréque perculſum in verborum anguſtias compingere velle videtur. Exurge anime! & Marianis ſuccendere ignibus, ut corde ſuccenſo ſufflammentur affectus, ex affectibus incaleſcat lingua, calente linguâ prorumpant

pant verba, prorumpentibus verbis Justitiæ Magistram, Matrem & Virginem, sive veram Astræam, si non ad vivum exprimere, saltem conatu aliquo possim adumbrare. Tu verò O Diva, inter divos Justinianos Clarissima, da mihi radium aliquem de Splendoribus tuis, quibus induta speciosissimum tui facis aspectum; & ego cum Viris Clarissimis agendo, nihil de te loquar obscurè, sed clarissimè felicissiméque perorabo.

Primus mortalium parens, & jurium arbiter Adamus, ea quidem rerum omnium cognitione fuerat illustratus, ut quidquid bonitatis continebatur in singulis, perspicaci mentè complecteretur, quamdiu amænissimæ regionis Dominus, in abstinentia unius arboris, Supremi Legislatoris authoritatem venerabatur: quia tamen divinæ legis immemor, nec contentus scientiâ boni, ex deliberatæ voluntatis libidine malum cum bono miscere, ac utrúmque nefanda curiositate cognoscere præsumpsit, suam non tantùm postero-

ſterorúmque animas in vetitæ arboris fructu crudeliter ſauciavit; verùm etiam in deflendas inſipientiæ tenebras, quæ atratorum dierum & ærumnoſarum horarum genitrices, fuere, infeliciter deturbavit. Vileſcebat exinde, malo unius exemplo, divinæ legis reverentia; exulabat vindicis juſtitiæ metus; tumultuabatur privatorum dominiorum iniquitas; proſtituebatur fidei contractæ integritas; omnis rerum creatarum harmonia & æquitas ex paradiſo pariter & orbe univerſo in cælum viſa eſt abijſſe. O quanta, quámque miſerabilis tunc confuſio, uno Juſtitiæ tenore non amplius ſonante, vel diſſonante! Quantus animorum tremor, & ipſius etiam capitis noſtri horripilatio, uno Juſtitiæ lumine ſublato! Palpabamus in condenſa cæcæ mentis caligine, candidæque veritatis face deſtituti ubíque impingebamus, quia blandientis primævæ matris palpo nimis incautè ſeduci amabamus. Sedentes in tenebris, & umbra mortis, nullum

(a) *Luc. c. 1.* lum vitæ prodebamus colorem, (a) quia Dei viventis, perque paradisum deambulantis, meridianum lumen cum protoparente fugeramus. Querebamur plenis sæculorum periodis: *Justitiæ lumen non lucet nobis, & sol intelli-*
(b) *Sap. c. 5.* *gentiæ nondum ortus est nobis.* (b) Turbati continuò cum Jerusalem, magna votorum solicitudine præstolabamur, *donec egrederetur, ut Splendor justus ejus; & salvator ejus, ut lampas, accenderetur, &*
(c) *Isa. c. 26.* *viderent gentes Justum suum;* (c) Sed veluti ferratis vectibus clausum, clausisque surdum auribus fuerat cælum ad querelas & gemitus nostros; quia dilexeramus *magis tene-*
(d) *Ioan. c. 3.* *bras, quàm lucem.* (d) Donec tandem, O inexplicabilem Numinis benignitatem! discussis nubibus, reseratisque cæli cardinibus *Sol Justitiæ* de cæ-
(e) *Ps. 84.* lo prospexit, (e) & radios suos quaquaversum diffundens, non solùm potestates tenebrarum, sed multorum etiam latebras amantium oculos incredibiliter perstrinxit. Vix erat, qui tantos fulgores sustineret, nisi afflictus orbis nitidissimum illico spe-

ſpeculum objeciſſet, in quod omnes Solis hujus radij excepti reflecterent ſuper juſtos æquè ac injuſtos. Ecquod Speculum fuiſſe arbitramini, AA? Fuit *Speculum Juſtitiæ* Maria. Ergo in Tenore Juſtitiæ canite, quotquot eſtis vocaliſſimi Mariæ Cantores: *Speculum Juſtitiæ Maria*! In hanc, utpote innocentiſſimam & ab omni, etiam originali, nævo immunem Virginem recipi voluit, virginéæque carnis nube circumdari, ut vel Conſultiſſimi quíque haberent *Corpus juris*, cui par non viderat orbis; vel ut hujus Speculi uſu inauranda, non laudanda ſtudia ſua, quibus nonnulli diſtrahuntur, reformarent; vel deníque nè volentium in illud ſincerè intendere ingeniorum acies hebetaretur. Quod dum creditis AA. humaniſſimi, Mariam Juriſperitorum Magiſtram obſequioſiùs honorate. Si enim Tribonianum doctiſſimum æquiſſimúmque aulæ ſuæ moderatorem Magiſterij titulo condecoravit Juſtinianus, quod adjunctâ Juriſperitorum operâ quoddam Juris corpus

pus condiderit, in magnum Rerumpub: emolumentum; Si Æmilium Pampinianum, Domitium Vlpianum, & Julium Paulum magiſtros veneratus eſt Alexander Severus Imperator, quòd viderentur eſſe pleni oculis conſiliorum, & Juſtitiæ oraculis; ſi Superſtitioſa antiquitas deorum inſtar eos coluit, qui vel leges tuliſſent, vel legum ænigmata diſſolviſſent, vel jurium tricas extricâſſent; cur non prudentiſſima Deiparens Juriſperitorum audiret Magiſtra, quæ divinæ Juſtitiæ corpus in tam pulchra diſtribuit membra; tam caſtis complexa eſt viſceribus; tam capaci concepit intellectu; & quæ Apoſtolicum Chriſtianæ Reipub: ſenatum, primoſque Legislatores inſtructura erat in dubijs illuſtrandis, in Canonibus ſanciendis, in difficultatibus enodandis? Dic age, O Sanctiſſime Apoſtolici Concilij Princeps, & Canonum, ac legum omnium in terris pro Chriſto Interpres, Petre, nunquid ſæpius apud hanc dubiorum arbitram, velut â divinio-

ris

ris Phæbi cortina oracula postulâsti, quando pro majori claritate veteres Decalogi leges ad Ecclesiæ novæ stabilimentum erant explicandæ; vel ad novarum plantarum incrementum condendæ *Novellæ*; vel Judæorum reprobatorum blasphemiæ, ac insani Christianam veritatem impugnantium tumultus retundendi? (a) Nunquid etiam vos Incarnatæ Deitatis præcones Joannes & Jacobe, Andrea & Matthæe, Philippe & Partholomæe, hoc veritatis ostium pulsâstis sæpius, hoc *oraculum Spiritus Sancti* (b) in rebus dubijs consuluistis frequentius? Quis dubitat? Et nunquid meliores (quia sacratiores) vitæ rationes, agendorúmque decreta excepistis, quàm quicúnque, sacrarum legum avidus, ab integerrimo legum conditore, nolo dicere, quàm Numa Pompilius ab Egeria, Zamolsis â Vesta, Solon â Minerva? Ita mihi penitus persvadeo; ita ex SS. Patribus me docent Interpretes; ita pars mundi melior affirmat; ita nos sentire oportet omnes, nisi

(a) *B. Rupert. in illud Cant: Qualis est dilectus tuus.*

(b) *Idem ibid.*

degeneres â Mariana pietate animos velimus exhibere. Non enim potuerunt non leges, legúmque interpretationes optimæ ab ea fieri, quæ â lege æterna, ab illa Sapientissima mente Dei, omnia jubentis, aut vetantis gratiosè formata, vitio primorum parentum nunquam deformata, nitore primigeniæ Justitiæ nunquam destituta intelligentiæ lumen ad illustrandas leges humanas semper habuit meridianum; quæq; in Sacrorum voluminum litteris versata, consilia ex Salomone, æquitatam ex Judicibus, gubernandi rationes ex Regibus, præceptionum interpretationes ex Devteronomio & Exodo copiosè hausit. Nec de ea formari deinceps poterant cogitationes aliæ, quàm quæ perfectissimam jurium tractandorum Magistram conficerent, utpote quæ novarum legum ac universi juris Regulam, Christum, tanto tempore, tantáque attentione tractavit, veramque Justitiam, humana carne vestitam, diuturnum habuit Professorem. Ab hoc, tanquam

quam *magni consilij* angelo (a), didicit communicare consilia; ab *Advocato* (b) terminare litigia; â *Judice vivorum & mortuorum* (c) dicere sententiam; â contrahente, ac semetipsum pro nobis dante (d) ligare contractus; â consignante novum testamentum suo sanguine (e) condere testamenta; ab eo, cui in hæreditatem datæ sunt omnes gentes, (f) tueri hæredes; â Filio denique, quem Pater constituit *Dominum universorum,* (g) explicare Dominium. Ut nihil dicam de altero Legum Doctore, quem post gloriosum in cœlos regressum generis humani Vindex Matri copiosissimè erudiendæ substituit. Quis enim credat divinissimum Spiritum, illum æterni consilij halitum, â Potentia Patris afflatum, â Sapientia Filij derivatum, dum rigidam Mosaicarum sanctionum multitudinem abrogaret, novásque leges non stylo ferreo, sed clementiæ notis, (quæ benigni ac Sapientis Magistri est indoles) cordibus inureret in flammis, evulgaret in sono, expli-

(a) *Isa: c.* 9.
(b) 1. *Ioan. c.* 2.
(c) *Actor. c.* 10.
(d) *S. Paul. ad Gal. c.* 1.
(e) *S. Paul.* 1. *ad Cor. c.* 11.
(f) *Ps.* 2.
(g) 2. *Mach. c.* 14.

caret in linguis; earundem legum perfectas cognitiones non communicâsse dilectissimæ suæ Sponsæ, quibus illustrata illustrare potuit alios, dicique doctissima ac celeberrima legum Interpres? Quare mirandum jam non est, quòd facundissimi encomiastæ, cum religiosissimo Ruperto conspirantes, in censum Marianorum elogiorum referant illud: *MARIA Legis magistra*; (a) quódque Joannes, verè Marianus Geometra, illam ex mensura æquitatis, & aureâ, ut quidam putant, eloquentiâ salutet, *Jus civile dirimens lites*; (b) Andreas Cretensis (c) *Commune in terris & cælo propitiatorium;* Seraphicus Doctor (d) *Consistorium & causarum Domum;* Jacobus Apostolus (e) *Justitiæ propugnaculum.* Illud mirarer potius, siqui devotissimo affectu Deiparam Virginem venerarentur Patronam, in commune nostrum auxilium adeo semper inclinatam, ut liberaverit hostibus provincias, pepererit ducibus victorias, exemerit vinculis innocentes, extricaverit litibus intricatos;

(a) Rup. Abb. l. 1. in Cant.
(b) Hym. 4. de B. V.
(c) An. Cr. de Dorm. B. V.
(d) S. Bonav. in spec: Virg: c. 7.
(e) In Liturgia.

catos;

catos; æquitatis tamen ſcientiam in ea non adorarent. An poteſt de univerſo jurisperitorum collegio reperiri juſtiſſimus aliquis, qui graviſſimis hiſce diſſidijs ad incorruptum juſti Judicis tribunal accedat, cauſam clientis proponat, juſtitiæ ſententiam imploret, ac impetret; cauſæ interim æquitatem non penetret mente, non diſcernat judicio? An putabis eò erroris prolapſam fuiſſe cauſidicam noſtram, ut ignoraret, coram quo judice cauſam diceret, ſiquando clientum ſuorum defenſionem ſuſcepiſſet? An cum injuria extorquere voluit, quod ab adverſa parte cum dominio poſſidebatur? An, quod hoc ſæculo fit frequentius, vocibus ſanguinis, pro tribunali litigantis, obtemperare magis voluit Judicem Filium, quàm cauſæ æquitati? An maternis precibus, & impetrare doctis lacrymis, contra jura jus aliquod arrogare præſumpſit apud eum, penes quem, teſte Chryſologo, (a) *neque pietas ſine juſtitia eſt, neque ſine pietate Juſtitia?*

(a) *S. Chryſolog. ſerm.* 145.

Exeſte impiæ ſacrilegæ, blaſphemæ mentium fœdiſſimarum cogitationes! *Sancta Sanctorum* tam execrandis probris obnoxia non fuerunt: *Speculum Juſtitiæ* tantam maculam nunquam potuit recipere: *Templum DEI* nulli præbuit aſylum iniquitati: Matrum feliciſſima nequiit abortivum proferre monſtrum; ſed ſolùm parere Chriſtum, qui apud Clementem Alexandrinum (a) *Vivum quoddam, & animatum jus Cæſareum ac Canonicum* celebratur. Sanctiſſima igitur concipere oportet de Matre Juſtitiæ, neq; auſu aliquo impietatis Marianorum titulorum ſplendorem obfuſcare, taceo, nefariâ quidvis ſentiendi licentiâ corrumpere, vel abrogare. Unde ſi nos vel teſtes temporum hiſtoriæ docuerint, vel ipſi probabiliore ratione conjecerimus, magnam Patronam, etiam dum adhuc in terris verſaretur, clientum ſuorum litigia ſic terminâſſe, ut causâ ciderint potentes contra imbelles; evaſerint judicibus captivi, triumphaverint in bellis principes, ereptæ ſint regibus urbes,

(a) *Lib. 1. Strom:*

urbes, elusæ tentantibus machinæ; cogitemus eam sine ullius injuria cuilibet jus suum dixisse, proindéque raram Jurisprudentiæ Magistram se comprobâsse. Qualem dum ego vobis hodie propono, & vos profitemini, animadvertere simul vos velim; qua ratione fructúque, publicéne an privatim docuerit; quos in Collegio suo habuerit discipulos, & quas jurium materias præsertim explanârit; Deprehendetis autem non obscuris indicijs, eam jura ita dictâsse alijs, ut ipsa fecerit; ita citâsse leges, ut exactiùs impleverit; ita monstrâsse tabularum notas, ut diligentiùs observârit. Cùm enim is doctores inter emineat, qui & agendo docet, & docendo agit, talem se exhibuit magistram, quam discipuli non tantùm docentem audirent, sed imitatione quoque factorum sequerentur. In privato templi Hierosolymitani Collegio se priùs conformavit *Institutionibus*, & convictrices discipulas informavit: (a) ibidem docuit ex *Pandectis*, mundi illecebras pro coelo,

(a) *Dion. Richel: in 1. Sentent: dist. 16. q. 2.*

cœlo, se suamque vitam pro Deo, divináque vitâ commutare, & commutavit, dum amantem Deum ita redamavit, ut mira subtilitate altera transiret in alterum, & uterque traderetur utrique: ibidem explicuit nominatos æquè ac innominatos contractus Deo se transcribendi, & integerrimè transcripsit; ibidem Decalogum, sive, *Jus infortiatum*, â fortioribus legibus inter consultos juris sic solitum nominari, modestissimè inculcavit, & in ejusdem observantiam auditrices suas non tam verbis, quàm exemplo pertraxit: ibidem selectas cum Deo transigendi, eidémque se donandi, vendendi, deponendi, & oppignorandi rationes dictavit, & gratiosè inivit: donec tandem decreto non Justiniani, sed summi æternique Imperatoris jura universa in volumen unum (*Volumen Christus est*) cogesta, intra uteri sui angustias coëgisset, ut haberet, *Codicem* (â *cogendo* dictum (a)) quem in planitie campi Bethleemitici proponeret, & explicaret. Et verò publicam illam,

(a) *Azo. in Summa.*

illam, sed vimineam scholam vix est ingressa Magistra; cum adeo feliciter nocturnam ad cœli faces lucubrationem inchoavit, ut quamvis boves & asinos, jurisprudentiæ incapaces, primùm haberet discipulos, nacta tamen sit paulò post reges & principes, qui per ingentes terrarum tractus & anfractus, per innumera periclitantis vitæ discrimina ex Oriente advolârunt, diademata substraverunt, & incurvas patrij juris virgas legum Authori & dictatrici inclinârunt, ut sanctiora gubernandi consilia, & regulas infallibiles exciperent. O quàm verè! quàm ingenuè gloriari tunc poterat MARIA: *Per me* (publicam juris Magistram) *reges regnant, & legum conditores justa decernunt: per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam!* (a) O quàm verè, quàm justè dixisset: *Meum est consilium & æquitas*, (b) quâ regnorum moderatio, magistratuum imperia, urbium fortunæ, curiarum majestas, templorum sanctitas, populi subjectio, fœderum integritas, bellorum ardor,

(a) *Prov. c. 8.*

(b) *Ibidem.*

ardor, pacis otium, omnis denique ordo, conditio, ſtudium, diſciplina, gens, natio, mundus totus regi debet & animari! O quàm verè, quamque congruè addidiſſet: *Mea eſt prudentia & fortitudo,* (a) quibus rerum arduarum moles conſtruuntur & conſervantur; pulcherrima virtutum ſoboles intra cardines ſuos continetur; ad obtemperandum legibus ſubditorum animi coguntur; nimia in Magiſtratibus dominandi libido expugnatur; armata impiorum audacia retunditur, ſanctæ religionis authoritas roboratur, Deus defenditur; ipſum etiam univerſum intra officij ſui terminos multo fortiùs meliúſque conſtringitur, quàm fabuloſâ Homeri catenâ fuerit coarctatum.

(a) *Ibidem.*

Verùm noluit Dei Mater gloriari, ſuique proferre panegyrim; cùm æternæ Juſtitiæ Verbum infans pro ea facundiſſimè ſatis perorârit, & ipſa de ſecuturorum clientum gratitudine dubitare non voluerit, qui ut in cælo, apud ſedentem pro tribunali Judicem Filium habeant patronam

Ma-

Matrem, ejuſdem cauſam excellenter acturi ſunt in terris, honoréſque defenſuri. Quod munus dum vobis promptiſſimis animis arrogatis, Jurium Antiſtites, ità ſtudium omne in id, velim, impendite, ut alios quóque Collegas in idem obſequium provocetis. Laudabilis enim ille conatus eſt, cælóque gratiſſimus, qui in magnarum rerum commendatione ſic deſudat, ut ubi viribus ſuis ſuccubuerit, ſubſidiarias habeat copias æmulorum. Illud præterea vos obſecro, obteſtórque, ut poſtquam Magiſtram prædicaveritis â conſilio & æquitate, â prudentia & fortitudine, â jurium peritia & docendi ſvavitate; divinam quóque legum ferendarum ſcientiam, quæ jurium peritis, ſummíſque juſtitiæ Magiſtris convenit, in ea exaggeretis. Exaggerabitis autem, ſi extuleritis illā ſupra Solonem, qui Athenienſibus; Lycurgum, qui Lacedæmonibus; Apollinem, qui Arcadibus; Philolaum, qui Thebanis; Minoëm, qui Cretenſibus; Phoronium, qui Græcis;

Græcis; Zoroaſtrem, qui Bactrianis; Platonem, qui Magneſijs; Romulum qui Romanis leges tulerunt: quóſque vagæ Religionis cultrix antiquitas non abſque ſingulari veneratione compellavit. Fuerit enim verò celebris Minos, quòd famoſiſſimum á Jovis incunabulo Dictæum montem ingreſſus ſe Numinis alloquio frui, & ab eo dictandas alijs leges accipere jactitaret; glorioſo certè mendacio Cretenſibus impoſuit: fuerit admirationi Lycurgus, qui ad Delphici oraculi cortinas profectus, ab Apolline ſe condocefieri, & quidquid ſalubrium ſtatutorum Spartanis tradidiſſet, ex eodem haurire dicebat; ſub ſpecioſa certè ſanctitatis larva nimiùm credulis illuſit: vixerit etiam ſanctioris gloriæ famâ locuples Pompilius, qui Aricino in luco deliteſcens agendorum articulos, velut in Minervæ garrientis ore collectos, Reipub. promulgavit; fallacibus item decipulis priſcam temporum ſimplicitatem implicavit. Vna interim Magiſtra noſtra, patrona

na noſtra, Immaculata noſtra veritate mendacia, religione ſuperſtitionem, humilitate jactantiam, ſinceritate fucum proſcripſit, quando non dictæum montem, non Apollinis, delubrum, non Minervæ lucum; ſed lacerum Bethleemiticæ urbis ſtabulum, celeberrimam tunc orbis ſcholam, inhabitans, nitidiſſimum *Juris Corpus* Angelis & hominibus, regibus & ruriculis, rudibus & peritis expoſuit; itáque evolvit, ut concinnè nôſſet iterum convolvere, faſciiſque illigare, quas nonniſi jurium perita poterat tractare; cùm teſte perſpicaciſſimo Prophetâ: (a) *Juſtitia ſit cingulum lumborum ejus.* Medullitus proinde gaudeo meliores mundi partes, ſeu litigantis Eccleſiæ militiam univerſam in hoc conſpirâſſe, quòd in cauſis graviſſimis, & deſperata mortalium ſalute vix alium ex toto Advocatorum cætu elegerit advocatum, qui apud divinæ Juſtitiæ tribunal pro ſontibus interpellaret, quàm Auguſtiſſimam Dei Matrem. Agnoverit, non dubito, eam præcellentiâ

(a) *Iſa: c.* 11. *v.* 5.

ſuâ

ſuâ nemini eſſe ſecundam, ùt quæ allegatione jurium, præſertim naturalis & materni, ſupremum tremendúmque Judicem â rigore ad pietatem, â ſeveritate ad clementiam, â ſupplicijs ad gratiam poſſet declinare. Reflectamus enim denuo memoriam noſtram, ſi lubet, & in præteritorum ſæculorum tempora revertamur: nunquid miſerandum ac infelix mortalium genus eò prolapſum erat, ut â primo per plura ſcelera graderentur plerique omnes, & in altiſſimis gradibus conſtituti horrendo caſu provolverentur in profundum horribilium tenebrarum? nunquid in ſempiternæ captivitatis ſqualore gemuiſſent, niſi dilectionis & infinitæ clementiæ Deus pro nobis miſiſſet litrum, credidiſſet depoſitum, ſolviſſet debitum, filium proprium oppignorâſſet? Et quomodo nobile litrum, immortale depoſitum, liberale debitum, pretioſum pignus tractavimus? Diſſipavimus, prodegimus, proſtituimus: Dominum inſuper univerſorum juſtiſſimo

ſtiſſimo dominio per inſignem audaciam exuere conati ſumus. O turpitudinem nullo lacrymarum torrente ſat eluendam! O impudentem injuriam, & injurioſam impudentiam, nulla pœnitudine ſat coſtigandam! Ei, cujus erant omnia, dedimus pro regia ſtabulum, pro cunis præſepe, pro culcitra fænum, pro periſtromate telas araneas, pro ſervis bruta, pro odoribus fætores, pro corona ſpinas, pro ſceptro arundinem, pro throno trabalem furcam. O iniquitatem, nullo ſeveriſſimo Judice ſatis plectendam! Nec ſtitit hîc inſana rapiendi libido; ut reperemus omnia, per exquiſita crudelitatis tormenta vitam eripuimus. O ſcelus nullis pænarum acerbitatibus expiandum! O reatum, æternis flammarum incendijs vindicandum!

Abijt ergo è terris in cælum Deus, univerſorum non tantùm dominus, ſed & arbiter. Abijt; & ſeveram Judicis indutus formam contra induratæ cervicis homines pro tribunali conſedit, dexterámque flagris,

grisſ, rotis, flammis, fulmine, cæteriſque ſeveriſſimè Judicantis terroribus armavit, ut in reorum vertices ſupplicia intorqueret. Quo ſe verteret ſcelerum depreſſo pondere, & pro ſuorum ſalute ſolicitus orbis? Dixi, oblegatam fuiſſe non tam materni cordis intentam officio Patronam, quàm præſtantiſſimam omnium advocatam MARIAM, ut deploratam mortalium cauſam continuò ageret, tremendúmque Judicem â ſententia revocaret. Hæc enim cœli ſuſcepta triumphis adeo inſtructam ſe ſtitit Tribunali, ut diſcurreret peritè, allegaret gratiosè, impugnaret fortiter, reſponderet ſolidè, oraret blandè, evinceret feliciſſimè. Non ſic profectò regum ſapientiſſimi mater apud fratrem pro Adonia fratre, adoleſcentum tunc pulcherrimo: (a) non ſic prudentiſſima mulier Thecuitis apud patrem in cauſa Abſolonis, vanitate inflati, ſuperbiâ tumidi, fratris ſanguine inquinati: (b) non tam dextrè Veturia Mater apud Coriolanum filium, quando facta patriæ advo-

(a) *Lib. 3. Reg. c. 2.*

(b) *Lib. 3. c. 14.*

advocata, ſe ſe intrepidè ſtitit irato vultui, & diſertâ jurium maternorum allegatione de corde furorem, ex vultu iram, ex manibus ferrum extorſit, civéſque fortunáſque ædéſque aráſq; miſerabili ruinâ jam jam tumulanda liberavit. Quare dulciſſimis iterum abripior affectibus, dum addictum Chriſto populum ſæpius modulantem audio: *Eia ergo Advocata noſtra!* dúmque in faſtis hiſtoriarum lego, hâc Patronâ neminem clientum causâ cecidiſſe unquam, ſtatim fatigatum injuriarum pondere animum in fiduciam erigo; nec me contineo, quin eam tremulis contriti cordis delaſſique oris vocibus talem celebrem, præcinentibus præſertim Sanctis Irenæo, (a) Bernardo, (b) Ephremo, (c) Anſelmo, (d) Bonaventura, (e) Antonino, (f) horúmque Seraphico Patre Franciſco, (g) qui ut ſuorum Matrem coleret impenſiûs, devinciret fortiùs, in honorem ejuſdem, â ſolennitate Principis Apoſtolorum, uſque ad diem, quo advocatura in cœlos abijt, de-

(a) *l. 5. contra hær: c. 19.*
(b) *Ser. 1. de Aſſum.*
(c) *Orat. de Laud. B. V.*
(d) *Apud D. Antonin.*
(e) *In hymno: Te Matrem & in Epiſt. Memor:*
(f) *p. 4. t. 15. c. 14. §. 9.*
(g) *S. Bonav. in vita c. 9.*

S votiſſimè

votissimè jejunabant. *Eia ergo Advocata nostra!* Patrona, Domina, Interventrix, Mater nostra! Illos tuos misericordes oculos, *amoris fontes* (a) dulcissimos, ad nos converte! Ecce gemimus in hac profunda lacrymarum valle; atque amaræ calamitatis temperatricem imploramus! Ecce, rei agimur non unius, sed multiplicis in DEUM injuriæ, & quæ præveniat ultionem, inquirimus! Ecce, juratum generis humani hostem, *accusatorem fratrum*, divinæ Justitiæ tribunal jam jam admisit; & advocatam, nostræque causæ (si tamen habemus aliquam) patronam non habemus; *Non est, qui consurgat, & teneat ultionum Dominum!* (b) *Eia ergo Advocata nostra!* fer opem! impende patrocinium! advoca, pete, repete, excipe pro clientibus tuis; & qua polles apud Judicem authoritate, quáque jurium scientiâ inter Advocatos emines, accusatorem nostrum, improborum ducem Causidicorum retunde, confunde; ut intelligant omnes, sapientissimè actum esse, quando

(a) *Plato.*

(b) *Isai: c. 64. & Psal. 93.*

quando te Advocatam reus elegit, orbis, & eminentissimam, clarissimámque Jurisprudentiæ Magistram est veneratus. Vos verò Sanctissimi æquitatis arbitri, jurium Magistri, legum divinarum Interpretes ac propugnatores, pergite, ut fecistis hactenus, Mariana sequi dictamina, & doctrinas; pergite hoc *Justitiæ speculum*, seu *visibilem justitiæ solis imaginem* cum Sapientissimo Idiota intueri, atque ad illud sententias actionésque conformare; & si quando legum obscuritas, litium implexio, adversariorum astutia, causæ subtilitas negotium facessiverit, subite hanc *Causarum domum*, (a) discutite dubia, expetite consilia; confido futurum, ut de adversarijs vestris non solùm triumphum, sed ab alijs quoque æternam nominis commendationem, quâ dignissimi estis, reportetis. Celebrabimini veræ Astrææ duces, regum magistri, fulcra regnorum, fori lumina, Senatus decora, consiliorum faces, & Rerumpub. bases ac clypei; quoniam *Advocati* (verba sunt Leonis

(a) *S. Bonaven: supra citatus.*

& Anthemij Imperatorum) *non minus provident humano generi, quàm si prælijs atque vulneribus patriam, parentésque servarent; Neque enim solos nostro imperio militare credimus, qui gladijs, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatis: militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* (a) Illi verò, qui Clarissimum nomen & gloriosam professionem vestram lucri desiderio, turpique venalitate commaculant; quique causas æquissimas condensâ legum nebulâ obscurant, exceptionibus illudunt, limitationibus protrahunt, duplicis triplicisque (sic loqui liceat) procrastinant; parcent, suæque vilitati adscribent, si non tantùm â Ludovico XII. regum gloriosissimo, verum etiam â vobis in tribum cerdonum fuerint transcripti, cùm, ut isti corium dentibus, ita illi astutis disceptationum tractibus lites amplient, & distendant.

(a) *Cod. l. 2. tit. 7. de advocat. divers. Iudic. 14.*

Dixi.

PRÆ-

PRÆCONIUM.

NIhil conferendum censeo cum certa cognitione, & exacta, ac subtili contemplatione Dei. Maximum enim est, & perfectissimum bonum, omninóque beata vita: hæc existere in contemplatione ostenditur, contemplatióque in cognitione optimorum: Deus jam, confessione omnium, Optimus est. Hæc igitur cùm ita se habeant, utique in cognitione divinorum beatitudo sita erit. S. Cyrillus 5. in Julian: ad textum ex eodem secundum.

ORATIO X.

MARIA, ad apicem Scientiarum, Theologiam, evecta, ideóq; beatißima Magiſtra Theologiæ.

SCientiarum apicem tandem attingimus, AA, & ab artium ac Facultatum omnium principe Theologia, non tantùm pronis excipimur affectibus; verùm etiam in laudes Auguſtæ Virginis, cujus pectus ipſa jam pridem deliciosè occupaverat, ſerenâ frontis majeſtate, gravium oculorum nutu, oris blandioris arriſu, ſuaviter animamur, ſalubriter incitamur. Quæ res non modica quidem voluptate animum meum perfundit; aſſequi tamen necdum poſſum, quæ tam profuſæ humanitatis cauſa, quod beneficij hujus illicium, quis tam inſoliti favoris ſtimulus ſubeſſe queat. An fortaſſis ſapientiſſimâ mente providet, hîc dicere meditantem roborari oportere, nè argumenti ſublimitas, & ſublimis ma-

materiæ majeſtas in ipſo dictionis limine percellat oratorem, qui levibus eloquentiæ præſidijs inſtructus potiores habet cauſas tacendi, quàm loquendi? An promeritæ laudis ſilentio pertæſa commendari vult in ea, in qua una mirabiliter refulgens reliquos diſcipulos ſuos, quamvis illuſtres litterarum præſides, in Sapientiæ cœlo fecit aſtra minora? Utrumque certè non exigui videtur eſſe ponderis; cùm ego in hac cauſa & viribus egeam ad dicendum, & turpe ac iniquum ſit ſilentium, quod glorioſi nominis eripit memoriam, ibique commendationis pretium ſuffuratur, ubi ad conciliandam æſtimationem ut plurimùm debet explicari. Enim verò ſit ita, res magnas innata pulchritudine non rarò perorare diſertiùs, quàm ſi precario exquiſitæ facundiæ ſubſidio roboretur: illud tamen etiam negari non poteſt, ſilentio flacceſcere quàm plurima, quæ pulchro alioquin encomio vegetarentur. Ut proinde jure optimo in ſui laudem me pertrahat Faculta-

tum Imperatrix Theologia, quando ſe totam mihi offert in Marianæ prædicationis apparatum, ſine qua hic nequit aſſurgere; & ego injuriam facturus videar argumento, quod aviditate dulciſſima tractandum ſuſcepi, ſi gratiosè oblatam provinciam detrectâro. Cùm enim non levis detractionis ſpecies ſit, id ſepelire ſilentio, per quod quis altiùs evectus in tanta ſublimitate conſpicitur, quantam cogitationes multorum necdum attigerunt; juſtiſſimè ſanè præconem depoſcit Theologia, qui gloriam illius inde ſublimiùs extollat, unde in MARIA, quam plenis altiſſimæ ſapientiæ fulgoribus illuſtravit, ſuæ magnitudinis accepit incrementum. Et ſi cæteræ rerum ſcientiæ non mediocre pretium ſuiq́; com̄endationem obtinuerunt, quòd in Deiparente ad inſigne ornamentum eluxerint; majorem encomiorum meſſem intrabit ſcientiarum omnium Regina, quoniam non minora, ſed paria, ſed excedentia decora in eam prodigè magis, quàm libe-

liberaliter congessit. An iniquior conditio est Supremæ Principis, quàm inferiorum dominarum, vel etiam ancillarum? Nunquid Theologia illa est, cujus ductu disciplinæ omnes diriguntur ad pietatem, résq; publicæ conformantur ad religionem? Nunquid illa, cujus magisterium tam manifestis divinæ rationis vestigijs insistit, ut cum doctrinæ aliæ obnoxiæ sint erroribus, hæc una, teste Doctorum Angelo, (a) errare nesciens per anfractus & præcipitia ducant neminem? Nunquid illa, cujus certitudo tanta perspicuitate ubique transparet, ut nisi Deus ipse, omnia in veritate docens, (b) vel fallat, vel falsitate implicari ac perdi velit alios; fallere non possit ullum? Nunquid illa, cujus utilitas tantam complectitur amplitudinem, ut neque Logica in differendo, concludendóque sit sagacior; neque Physica in demonstrandis rerum causis perspicacior; neque Medica in curandis mortalium morbis, ut illa in passionibus animi componendis felicior;

(a) *S. Th. p. 1. q. 1. ar. 5.*

(b) *Mar. c. 12.*

licior; neque Jurisprudentia in Supremi Numinis explicanda lege peritior; neque Ethica in formandis moribus notandáque beatitudine, præstantior; neque Astronomia in examinando sole, luna, cæterisque cœli sideribus illustrior? Non est igitur AA. cur quis existimet, ornamenta laudis ambitiosiùs ab ea prensari, dum in Deiparente celsiùs evecta, cupit suspici & prædicari. Tributum exigit Regina, quod meritis ac privilegijs ejus debetur amplissimum. Et cùm altera sine ista nequeat hîc celebrari, quanto magis Marianæ majestatis splendor ab hac irradiabitur, tanto amplius encomium altera consequetur.

Sed age, O divinissima scientiarum Magistra, ingeniorum sidus, columen fidei, gloriæ mater, flammarum ad beatissimos Numinis amores administra, Sacrosancta Theologia! age, inquam, dic nobis, quo eminentiæ loco collocasti Mariam? in eóne honoris fastigio constitit, unde splendore refulsit supra reliquos,

quos, & quò aliorum ingenia Theologorum ausa non sunt aspirare? Audite, quid reponat sciscitanti: *Ego,* inquit, *vapor virtutis Dei, emanatio quædam claritatis Omnipotentiæ DEI, imago bonitatis illius* (a) in altissimis habito; ideóque thronum, sive cathedram Virginis in columna nubis collocavi, supra omnium Doctorum vertices. Inde inde in supremum illud Numen, cui pro domicilio *splendor inaccessus,* (b) pro amictu circumfusum lumen, (c) citra gravem reverberationem, mentis intendit aciem; viditque Deum trinum in personis, unum in natura; non factum, non creatum, non genitum; Principium principio carens; fontem non solùm rerum omnium, quæ illius imperio extiterunt in tempore, verùm etiam Filij & Spiritus Sancti ab omni æternitate. Vidit Filium, â Patre, acerrimo mentis oculo se ipsum perfectè intelligente, ac quasi in flagrantissimi nitoris speculo suam ipsius faciem contemplante generatum, Deum de DEO, lumen de Lumine: vidit

(a) *Sap. c.*7.
(b) 1. *ad Tim. c.* 6.
(c) *Ps.* 103.

vidit diviniſſimum illum Spiritum, ſempiternam amoris flammam, ab utróque adeo mirabiliter procedere, ut quamvis cum utróque ejuſdem prorſus naturæ communione copulatus, alius tamen eſſet ab utróque. Tres perſonæ, & tamen mens una, voluntas una, ſapientia una, bonitas una, æternitas una, immenſitas una, vis & poteſtas una. Totus in Filio Pater; totus in Patre Filius; totus in utróque Spiritus Sanctus. Filius â Patre natus, & tamen coævus Patri; diſtinctus â Patre, & tamen etiam idem cum Patre; imago Patris, & tamen non aliud quam Pater. O admirandam Perſonarum diſtinctionem! O ſtupeſcendam cum tanta diſtinctione unitatem, & rerum omnium communionem! O altitudinem divitiarum DEI! Quæ mens te capare, quod ingenium concipere, quæ ratio hominis poterit declarare? Concidit profectò naturæ noſtræ conatus, hebetantur acutiſſima Doctorum ingenia, abſorbentur vivaciſſimi ſenſus, obmuteſcunt ora diſer-

disertissimorum Rhetorum. Amantissimæ nihilominus Matri copiosam sui videndi fecisse copiam, quando mentem illius ita illustravit, ut lucidissimos obtutus in ipsam Divinitatis substantiam non semel defigeret, testes sunt, seu potius authores gravissimi, de Sanctorum Patrum numero Divus Hieronymus, (a) Petrus Damiani, (b) Antoninus, (c) & Bernardinus; (d) testes de lycæis Theologorum, Franciscus Suarius, (e) Gabriel Vasquez, (f) Ægydius Lusitanus, (g) Petrus Canisius, (h) & Sanctorum honoribus nuper decoratus Thomas de Villa nova, (i) qui gravissimo suo judicio par esse censuit, ut quæ tormentorum acerbitatem sustinuerat in patiente Filio, Dei sui deliciarum omnium visionem adhuc in terris haberet pro præmio; & mea quidem opinione, longè illustriorem, quàm habuerit Moyses in monte, Isaias in templo, Ezechiel ad fluminis ripam, Paulus & Joannes in ipsum cælum abrepti. Eò igitur animos, eò affectus vestros intendite

(a) *De Nat: Mar:*
(b) *Ser: 1. de Nat B. V. apud Mendozam.*
(c) *4. part. tit. 15. c. 1. q. §. 1.*
(d) *tit. 4. f. 36.*
(e) *Tom. 2. Incarn. disp. 19.*
(f) *1. part. d. 55. & 56.*
(g) *De beat. tom. 2. l. 12. q. 9. a. 4. §. 1.*
(h) *l. 5. de Deip. c. 17.*
(i) *Serm. de Resur:*

AA,

AA, & admirandam Mariæ celſitudinem, infra quam reliquorum doctorum eminentiam Theologia reliquit, quantâ poteſtis propenſione ſuſpicite, ſpeculemini. Ecce, ut diviniſſimarum cogitationum ſplendoribus refulgens, intra cubilis ſui perietes abſorbetur! ut fixis in cælum oculis â ſemetipſa peregrinatur! ut abripitur intellectu, tenetur memoriâ, trahitur voluntate! ut tota in Deum mergitur, tota in Vnitatis eſſentiam, & perſonarum Trinitatem immergitur! Repleri nimirum eam decuit arcanorum notitiâ, quâ ſupra creaturarum ſcientias evecta emineret, humani tamen generis ſaluti promptiſſimè ſimul cooperaretur. Mentem enim verò reducamus in prima felicitatis noſtræ tempora, diſquirentes quomodo Illuſtriſſimus ille è cæleſti nobilitate Legatus graviſſimi negotij rationem prudenter expoſuiſſet, cauſámque mortalium feliciter perorâſſet, ſi myſterijs divinis pleniſſima illius oratio â Virgine percepta non fuiſſet? Stabat

bat hinc adorabundo flexus poplite Gabriel, & impositum sibi â Suprema Numinis majestate proponebat imperium; stupebat illinc suffusa rubore ad honorificam Legati vocem MARIA: nuntiabatur hinc in vicem munerum, â principibus mitti solitorum, gratiarum plenitudo, & benedicta dicebatur inter mulieres; demittebat se illinc Virgo pudibundâ vultus demissione, & vilem ancillæ conditionem præseferebat: petebatur hinc in augustissimas cum Deo nuptias consensus, & præsente angelorum multitudine, festivi parabantur hymenæi; turbabatur illinc castissima Sponsa, & virginitatem suam solicitè propugnatura tremulam spirabat vocem: *Quomodo fiet istud?* (a) Vix erat sortitura successum legatio, nisi mentem reflectens angelus, se loqui cum perfectissima Theologorum Magistra (ut erat ad omnem discursum instructissimus) ex reconditis ipsius Theologiæ mysterijs pudori attulisset securitatem: *Spiritus Sanctus* superveniet in te,

(a) Luc. c. 1.

te, & *virtus Altissimi* obumbrabit tibi, ideóque quod ex te nascetur, Sanctum vocabitur *Filius Dei.* Cui responso MARIA placidè acquiescens, & divinæ Incarnationis possibilitatem ex una Trium potentia devotissimâ cognitione dispiciens, libenter añuit: *Fiat mihi secundum Verbum tuum.* Quid putatis hîc, AA. quæ admurmurationes, quæ tripudia, qui applausus, quæ audientium angelorum aggratulationes subsecutæ sint hanc non contentiosam, difficultatibus tamen plenissimam disputationem? An potuit vel in Romano Sapientiæ Sacrario, vel in Salmantico augustali, vel intra Sorbonicos cancellos meliori agnitæ veritatis responso terminari negotium? Profectò vix potuit. Et tamen nullo evanescentis gloriæ fumo propter tam sublimem cum angelo discursum tangebatur Maria. Imò nunquam de Deo pulchriùs, nunquam cum eodem humiliùs, ideóque subtiliùs, quàm cùm haberet intimè præsentem, locuta est, non jam tantùm

Theo-

Theologa, ſed & Theophora. Quanto enim profundiùs de cælorum altitudine DEUS in eam deſcendit; tanto illa ex humilitatis ſuæ abyſſo aſcendit in Deum altiùs, ibíque in clariſſima naturæ ſimplicitate pulchram attributorum varietatem inter cætera eſt ſpeculata. Adorabat profundiſſimâ reverentiâ ſupremam *Majeſtatem*; & magnificum animæ ſuæ dominum ſuſpiciebat ancilla. Venerabatur relucentem tum in ſe tum in exiſtentium, ac poſſibilium rerum multitudine *Omnipotentiam*; & quia etiam illi magna fecit, qui potens eſt, hominem aſſumendo in Deum, beneficij magnitudinem recolebat. Celebrabat infinitam illam *Bonitatem*, quæ totâ ſui emanatione ita ſe communicat perſonis, ut deinde inexplicabili liberalitate in hanc noſtram mortalitatem ſe ſe diffundat; & divitiarum ejus evaſit avariſſima. Expendebat genuinam bonitatis ſobolem *Miſericordiam*, quam â progenie in progenies, hoc eſt, â primis mundi incunabulis in pænitentium pre-

ces exhibuit facilem, in egentium necessitates velocem, in imbecillium sustentationem pronam, in afflictorum solatia propensam, in omne denique auxilium ac amorem incitatam; & amabili gratissimæ mentis dulcedine absorbebatur. Considerabat divinæ majestatis honorisque vindicem *Justitiam*, quâ in reos æquissimis supplicijs animadvertit, insolentes coërcet, improbos emendat, probos retinet, potentes deponit, humiles exaltat; & pulchrâ voluntatis conformatione abibat in divinorum abyssum judiciorum. Admirabatur altissimam *Sapientiam*, qua se ipsum per se, & omnia â se orta intelligit, cujus gloria in amplissimis cœli terræque theatris, in rerum generibus, in generum speciebus, in specierum numeris, in numerorum ornatu ac Symmetria relucet; & sicuti cum eo delectabatur per singulos dies ludens in orbe terrarum, ita tunc ubertate voluptatis illius non poterat satiari. Speculabatur denique seu absoluta, seu conditio-
nibus

nibus obnoxia, & è ſacerrimo Trinitatis Senatu emanantia decreta, & ibi, quæ ſit inter actus & objecta connexio, quæ futurorum infallibilitas, quæ infallibilitatis præambula vel libertas, vel neceſſitas, haud dubiè diſcernebat. Hinc fit, ut tantopere jam non mirer & vitæ ſanctitate, & eloquentiæ torrente, & ſcriptorum majeſtate, & mortis gloriâ incomparabilem Dionyſium, quòd magnifico in Deiparentem affectu, inter attonitos animi ſenſus abreptus eam voluiſſet aſſerere Deam (a), niſi magiſtrâ fide cognoviſſet eſſe creaturam. Si enim etiam teſte doctiſſimo Origene (b) nemo ſpeculatrice mentis indagine aſcendere poteſt in Deum, niſi ipſe quodammodo fiat Deus; non debet nimiâ exerrantis pietatis notâ tantus notari doctor, qui â Mariano diſcipulo, Joanne, in Magiſtræ muſæum introductus, & ſplendoribus divinis undique fulgentem conſpicatus, (c) non potuit, præ ſtupore, aliquid quaſi mortali altius non ſuſpicari, & devenerari.

(a) *Epiſtol. ad D. Paulum.*

(b) *Hom. 1. in Ioan.*

(c) *Carthuſian. in 1. Sent. diſt. 16. q. 2.*

rari. Tùnc enim, opinor, Dei formis Virgo totam intellectûs sui aciem in cœlestium rerum contemplationem pro more intenderit, atque in ipsum *Lumen gloriæ* adeo prope abierit, ut illius radijs collustrata adhuc in vita, tanquam fulgentissimum inter Doctores sidus refulgeret; siquidem alij primùm â morte fulgebunt, *quasi stellæ in perpetuas æternitates*. (a) Sed nunquid & ego insolentiori subintrans cothurno, vestigijs vacillantis nonnihil Areopagitæ videbor insistere? Nunquid erroneo, aut fulgoribus nimijs perstricto pietatis oculo feror in amatam? Nunquid totus in eo sum, ut humanis majores, & transcendentes, divinisque pares Deiparæ coacervem honores? Absit â me fidei tam rudis affectus, fanatica temeritas, audacia nunquam toleranda. Absit, ut sentiam, dicamve aliquid, sanctissimâ Censorum virgâ castigandum. Nolo Lavernionibus de Lutheri aut Calvini Schola, contra Matrem Dei latrantibus, ac jam hirrientibus obijcere materiam, quâ in

(a) *Dan.* c. 12.

in rabie ſua magis efferveſcant; qui quia veritatis lucem intueri non volunt, condenſos MARIÆ ſplendores execrantur. Illud ſolùm evincere contendo, Deiparentem, mortales inter, eminentiſſimam fuiſſe Speculatricem, ut quæ objectum de cœlo Deum tam profundè ſpeculari viſa eſt â Theologis, quæque rariſſimos ſapientiæ ac ſcientiæ theſauros excepiſſe creditur, pietate adhuc hodie perdurante. Quæ ſi veſtris quoque cordibus ineſt, pulchrè ſanè honori Dei conſulitis, qui ut â filijs alijs juſtiſſimam ſemper erga parentes exegit obſervantiam, ita obſervantiſſimi optimiq; filij partes explevit omnes. Quis autem neſcit, optimorum filiorum animos in matrem adeo eſſe gratos, voluntates adeo inclinatas, affectus adeo profuſos, indoles adeo candidas, & ſinceras, ut etiam ſecretiſſima pectorum ſuorum recludant? Deus Mariæ filius fuerit; & naturæ ſuæ arcana, hoc eſt, ſubtilis Theologiæ myſteria, quæ ad ornandam evehendámque Matrem valebant multùm,

tùm, ad conteſtandos filij amores faciebant non parum, reticuerit, & omnino celaverit? Non ſuſtineo, ut perſuadear. Deus in mundum venerit, ut, quâ conſtabat ſcientiarum plenitudine, doceret omnem veritatem; & amantiſſimam ſui Genitricem eâdem deſtituerit, non locupletârit? Non inducor, ut credam. Deus clariſſima æternæ veritatis lux de regalibus ſedibus ſe ſe in has mundi regiones infuderit, ut illuminaret omnem hominem; & in pulcherrimo Matris intellectu notabilis ignorantiæ tenebras reliquerit, non prorſus diſcuſſerit? Non flector, ut conſentiam. Contrarium ſiquidem exigebat Dei, ſapientiæ ſedem ſibi conſtruentis, majeſtas; contrarium filij in parentem amor & obſervantia; contrarium divinæ Matris dignitas, & excellentia, nullo verborum ambitu ſatis explicanda. Quare ſiquis hanc Auguſtiſſimam Matrem cogitat, volò, ut Theologorum omnium principem concipiat; neq; alibi, quàm in altiſſimis ſuperemi-
nentis

nentis Sapientiæ stationibus investiget. Eò enim princeps Theologiæ facultas illam extulit, unde dilectum discipulum Joannem, Doctorem gentium Paulum, ingeniosum Augustinum, laboriosum Gregorium, suavissimum Ambrosium, purpuratum Hieronymum, sedulos Lombardos, angelicos doctores, subtiles Scotos, claros Suarezios, acutos Vasquezios, omnes denique ingeniorum phænices, & academiarum lumina longo post se intervallo despectavit. Vult quis scire, quàm altè se se magnarum alarum aquila Joannes in infinitam divini solis lucem libraverit? Damianum audiat: *In speculanda summa Divinitatis essentia præcedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, Apostolos superat, & illuc usque mentis aciem intendit, quò vix & angelica valet pertingere creatura:* (a) & tamen expirans in cruce Christus discipulum commendat Matri, ut etiam absente Magistro haberet, â qua disceret. Vult quis scire, in quam sublimitatem abierit Paulus, quósque divinorum secreto-

(a) S. P. Damian: ser. 2.

rum recessus penetrârit? Scripturæ auscultet oraculis: Raptus est in paradisum, & audivit dictantis Sapientiæ arcana verba, quæ non licet homini loqui; (a) viditque, si Augustino hîc credimus, quomodo Trinitas in Unitate, Unitas esset in Trinitate: & tamen Verbi Theologum, Deiparæque Discipulum non æquavit; siquidem illi non tantùm concessum fuit, grande illud mysterium irreverberatis luminibus intueri, verùm etiam facundissimè loqui, quando â Triade incipit, & Verbum, quod in principio erat apud Deum, subtiliter manifestat. *In tertium cœlum raptus* (exclamat Adamantius) *O vas electionis, & Magister gentium, audisti verba, quæ non licet homini loqui: Joannes intimæ veritatis inspector ultra omne cælum, in paradiso paradisorum, hoc est, in causa omnium, audivit unum Verbum, per quod facta sunt omnia, & licuit ei illud verbum dicere, hominibúsque prædicare.* (b) Vult quis scire, quo loco apud disertissimos Encomiastas sit Augustinus? Codices evolvat: Possidio est Pater Patrum,

(a) 2. ad Cor: c. 12.

(b) *Orig. hom. 2. in div:*

Patrum, Doctor Doctorum, abyssus Sapientiæ, præco veritatis, par angelis in fervore, par Prophetis in absconditorum mysteriorum revelatione; (a) Remigio est inter doctores, quod sol inter planetas; (b) Ruperto (c) *Columna nubis, in qua thronum suum posuit Sapientia Dei*: & tamen ex melioris mundi felicissima sorte nullus, opinor, dubitat, Deum in nemine veriùs thronum suum fixisse, quàm in MARIA, quæ testimonio ipsius Præsulis Augustini, *totius Divinitatis* est *Vivum tabernaculum*, (d) *Aula Regis æterni* (e), *Thronus* (f) & *Templum Dei*; (g) ex oraculis Sanctorum Patrum, est *Altare Thimiatis*, (h) *Cathedra Cherubina Dei*, (i) *Habitaculum illius, qui nusquam capitur amplissimum*, (k) Dei thalamus, arca, Sacrarium, cœlum, Propitiatorium, & quæ non talia? Vult quis scire, quàm bene in Sapientiæ certamine volaverit Ecclesiæ Sanctæ Doctor, & Pontifex Gregorius? Ex Ildephonso intelligat, eum ita cunctorum meritorum claruisse perfectione sublimem, ut exclusis omni-

(a) *In Epist. ad Maced.*
(b) *Remig. Antisiod. in 2. ad Cor.*
(c) *Rup. l. 7. de oper. Sp. S. c. 19.*
(d) *Apud Carthagen. in tit. secundum Alphabet.*
(e) *S. Aug. init. ser. 1. de Ass.*
(f) *Idem in præfat. l. 1. de Assum. tom. 9.*
(g) *Idem ser. 2. de Assum.*
(h) *S. Ambros. l. 2. de Virg.*
(i) *Esichius ser. 2. de S. Deip.*
(k) *Andr. Hierosol. in Salut: Ang.*

omnium virorum illustrium comparationibus, nihil simile demonstraret antiquitas; cùm fuerit Sanctitate Antonius, eloquentiâ Cyprianus, Sapientiâ Augustinus. (a) Ecce confertur Augustino lumen Rhetorum, Philosophorum splendor, Theologorum princeps Gregorius; (b) & tamen ille ad MARIÆ celsitudinem nunquam aspiravit. Quomodo igitur iste in comparationem veniat, cùm præsertim spontaneus excellentiæ Marianæ Panegyrista illam vocet *præparatum montem in vertice montium*; *montem* scilicet, qui significatione hebrææ *Ramatha Sophim*, latinè *Specula* nuncupatur, unde perfectissimis Dei cognitionibus prospicitur; (c) *montem*, qui contestante Damasceno (d) *collem omnem, ac montem, id est, angelorum, ac hominum sublimitatem exuperat?* Vult quis scire, quo scientiarum subnixus præsidio extulerit se se Hieronymus? Trium attendat encomijs. D. Prosperi, cui est mundi Magister; (e) Cassiani, cui scripta illius, quasi divinæ lampades rutilant; (f) Augustini,

(a) *Idelph. Tolet. de viris illustr:*

(b) *Ioan. Trithem. citatus initio operum S. Greg:*

(c) *S. Greg. in 1. lib. Reg. expos. l. 1.*

(d) *S. Damasc. or:3. de Nat. B. V.*

(e) *D. Prosp. lib. de ingratis.*

(f) *Cass. contra Nest. de Verbi Incarn. l. 7.*

ſtini, cui homo eſt doctiſſimus, qualem in divinarum ſcripturarum ſcientia nec eſſe, nec poſſe eſſe videbat: (a) & tamen ipſe purpuratus hic Dalmata, venerabundo affectu Deiparam evecturus, eam celebrat Domum Sapientiæ (b) Sedem ac Sacrarium Spiritus Sancti. c) Vult quis ſcire, quam Sapientiæ laudem indeptus ſit nectare, ambroſiáque innutritus Ambroſius? Orbem conſulat univerſum. Eo ſiquidem teſte, prælapſa Salomonis tempora retraxiſſe videri poterat, quando potentiſſimi ſapientiſſimique viri difficillima itinerum ſpatia emenſi, ex ultimis Perſiæ oris advenerunt, ut â mellitiſſimo Ambroſij ore delitiosè penderent, quemadmodum regina Saba, ex procul rejectis terræ finibus excita, ab ore Sapientiſſimi regis admirabunda pendebat. (d) Quamvis quid opus fuit, ut tanti viri doctrinam humani ſensûs arbitria commendarent, cùm oſtenti divini prodigio in ignea ſphæra, ſuper caput illius flammicante, ſplendiſſimum laudis

(a) *Lib. 18. de Civit: c. 43.*

(b) *S. Hier: l. 30. in Iſa: c. 7.*

(c) *Idem adverſus Helvidium.*

(d) *Paulin: in vita Ambr:*

laudis acceperit testimonium? (a) Nihilominus tamen, *quid splendidius eâ, quam splendor elegit*, inquit de Magna Virgine Ambrosius. (b) Imò, ut eam supra omnium Theologorum verticem collocet, mirari non vult, Joannem præ cæteris locutum fuisse mysteria divina, cui *præstò erat aula cælestium Sacramentorum*, (c) hoc est, MARIA. Vera nimirum manent præconia D. Gregorij (d), Idiotæ, & Antonini, qui MARIAM magistram Evangelistarum, Apostolorum, & omnium sapientissimorum Doctorum prædicârunt. Pulchra profectò tituli hujus amplitudo! Nervosum multarum laudum compendium! Præcelsa Virginis unius dignitas! Fausta Doctorum felicitas! Illustris Theologicæ gloria Facultatis!

Sed perge porro Eximia Facultas; perge magnorum virorum capita recensere, quæ mirabili divinæ scientiæ fæcunditate repleverunt orbem; Marianæ tamen excellentiæ vix umbram exceperunt. Adduces sine dubio Thomam de Aquino, quem facun-

(a) *Baron. ad ann. Xti.* 397.

(b) *S. Ambros. lib. 2. de Virg.*

(c) *Idem c. 7. de Instit. Virg.*

(d) *S. Greg. hom. in Evang.*

facundissimi Oratores celebrant, Theologiæ Oceanum, Academiarum solem, Ecclesiæ athletam, divinitatis interpretem; virum, inter Doctores prodigium, inter homines angelum, inter angelos Cherubinum, inter Cherubinos quoddam quasi Numen scientiarum: Sed suspicor, quod tametsi cum Maria volaverit altissimè, adeo, ut ipsum Solem capacissimo pectore excepisse credi possit; Magistræ suæ nihilominus cum S. Anselmo acclamaturus sit: *Maria excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici vel coogitari potest.* (a) Sistes, opinor, Joannem Scotum, proh quantum virum! quantum Mariani honoris vindicem! qui sicut aquila fixam oculorum aciem, ita mentis acutæ pupillam in solem Divinitatis ipse contorsit, radios excepit, eósque tam subtiliter per celeberrimas orbis Vniversitates vibravit, ut Theologicæ subtilitatis Magister, summarum difficultatum disquisitor, reconditorum arcanorum altissimus perscrutator dici meruerit: Sed

(a) *S. Ansel. de Excell. Virg. c. 2.*

Sed certò mihi perſvadeo, quòd is, per quem Immaculatæ Virginis honor, frementibus licet adverſarijs, feliciter propugnari ceptus eſt, quémque Glorioſſima cæli Regina hebetem fortè ac rudem ingenio, illâ, quam viſceribus portavit, Sapientiâ pleniſſimè recreavit, acclamaturus ſit Benefactri ſui: *Maria excedit omnem altitudinem.* Evocabis Franciſcum Suarezium, communem omnium Magiſtrum, (a) Doctorem eximium, (b) alterum ætatis ſuæ Auguſtinum, (c) Theologorum Coryphæum, & anteſignanum, ſæculíque ſui in Scholaſticis Gygantem: (d) Sed ſcio, quòd diſcipulus Magiſtræ, quam in altiſſima ſubtilium rerum ſpeculatione conſulere conſvevit, acclamaturus ſit: *Maria excedit omnem altitudinem.* Attolles magnorum virorum teſtimonijs (e) Gabrielem Vaſquez; & Solem Theologiæ, Magiſtrum magiſtrorum, hominem admirabilem, Angelum vitâ & intelligentiâ, temporum ſuorum decus, lumen, & oraculum jactabis: Sed dubitari non poteſt,

(a) *In Bibl. Script. P. Alegambe.*
(b) *Paulus V. in litt. apoſtolicis ad eum datis.*
(c) *Epiſcopus Conimbricenſis.*
(d) *Varij apud citatum Alegambe.*
(e) *Apud citatum Alegambe.*

poteſt, quin illico exclamaturus ſit: *Maria excedit omnem altitudinem.* Adeo ſublimi faſtigio Æterna Sapientia Matrem excepit, ut nullum hominis ingenium eo debeat anhelare; adeo liberaliter ſe ſe in eam infudit, ut ex omnibus Theologiæ materijs vix aliquid ignorâſſe videatur! Niſi fortè *Actus humanos*, cùm tota impenderetur divinis; & *Tractatum de vitijs ac peccatis*, cùm conſtet, illam non ſolùm nullum unquam contrectaſſe peccatum vel morte vel veniâ dignum; ſed inſuper præditã fuiſſe neceſſitate, ut minimùm morali, operandi ſemper honeſtè, ideoque ante ſingulos actus liberos, uberioribus divinæ gratiæ auxilijs vixiſſe præmunitam. Quanquam néque peccata ignorâſſe dici poſſit, cùm non minus laudabilis ſit ſcientia fugiendorum, quâm agendorum.

Cæterùm libenrer credo, de Angelis eorúmque loquela quàm veraciſſimè agere potuiſſe, utpote, quæ teſte Athanaſio (a), æternas illas mentes, ab omni materiæ concretione

(a) *S. Athan. lib. quæſtion. ad Antioch.*

ne sejunctas, purissimo animi oculo dispexit, & quæ doctore Hieronymo, (a) quotidie ad dulcissimam conversationem undique cingebatur ab illis, non tantùm cum ea, sed dubio procul etiam inter se colloquentibus. Vt nihil dicam de tenerrimo mysterio *Incarnationis*, quod nulli magis perspectum oportuit esse in hac mortalium peregrinatione, quàm illi, quæ de sanguine suo communicavit Verbo: nihil dicam de gratiosis materijs *Gratiæ*, quam non solùm discipulis, sed & indigentibus quibuscúnque liberaliter explicuit, siquidem juxta cælestis paranymphi eloquium gratiæ possedit plenitudinem: nihil dicam de Sacramentorum necessitate, quam ita inculcavit, ut multi egerint dignos *Pœnitentiæ* fructus; *placida* enim & *officiosa fuit magistra pænitentiæ*: (b) nihil dicam de *Evcharistia*, augustissimo divini convivij epulo, quo corpus mentémque nutrivit frequentiùs, & auditoribus suis exposuit ad gustum sapidiùs, quia probè noverat, quàm bene car-

(a) S. Hieron. de nat: Mar:

(b) S. Ign. Mar. apud Carthagen.

carnem Filij Hominis præparaverit: nihil dicam de *Fide Spe & Charitate*, quarum professione nemo ita excelluerit; cùm amplissimo beneficio beatitudinis, quæ gravissimo Theologorum calculo, actibus fidei, in via exercitis, respondet, excedat beatitudines omnium Beatorum. Sed quorsum ista? quorsum quæsita prolixitas, plerúmque tædij mater non infœcunda? Nimirum ut fusius intelligamus, MARIAM fuisse subtilissimam, clarissimam, acutissimam, eminentissimam Theologam, cui parem, Filio excepto, qua latè tenditur orbis, non habuit unquam. Quam veritatem ut omissis verborum ac commentorum ambagibus coronemus, liceat priùs sanctâ quadam audaciâ evocare universam Doctorum multitudinem, & eos cum vetustæ memoriæ Radulpho, (a) superexcellentem, semperque aliàs altissimam, Dei Sapientiam, in Maria tamen exaltatam, quasi Cypressum in Monte Sion, stupescente, laconicè interrogare: *Quis ve-*

(a) *Radul. Ardens Pictavus in c. 24. Eccl. hom. de Ass. B. V. apud Surium.*

ſtrûm *fuit ſic Sion, id eſt, ſpeculativus, ut Maria?* Et quia Marianæ ſcientiæ radios ſuſtinere non valebunt, ſubſcribamus tandem mellifluo Bernardo (a) qui Deiparam ideo amictam Sole perhibet, quia *profundiſſimam divinæ Sapientiæ, ultra quàm credi poteſt, penetravit abyſſum, ut quantum ſine perſonali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa.*

(a) *Serm: Signum Magnum.*

O igitur illuſtres Chriſtianæ Sapientiæ duces Theologos, qui tantam támque admirandam nacti eſtis Magiſtram! illuſtres dico; non enim niſi tales evadere potuiſtis ſub Doctrice, quæ ſole amicta, cujus pedibus luna ſubſtrata, cujus capiti corona Stellarum duodecim circumdata. Felices! quia per vos tanquam minora ſidera ſupremæ Sapientiæ radios, ſub umbra Spiritûs Sancti (nè percellerent) exceptos univerſo diſperſit orbi, ut populus, inſcitiæ nocte ac ignorantiæ tenebris occæcatus acciperet lumen, lumen ad revelationem abditorum myſteriorum. Feliciſſimi! quia in cælum

cælum ſublati, & ſtellarum numero ac magnitudine pro meritis veſtris coronati, fulgebitis in perpetuas æternitates. Ita vaticinor, ita vobis promitto, qui denſas errorum tenebras ingenij luce diſſipatis, & proſtratis generis humani belluis, Eccleſiæ furijs, patriæ incendiarijs, religionis hoſtibus, Sacrorum prædonibus, profligatis ſcelera, conformatis Reſpub: ſtabilitis fidem, inflammatis probitatem, animatis ſanctitatem, omnium denique virtutum ſemina, in mortalium animos projecta, confovetis. O quàm pulchrum tunc erit firmamentum, in quo tot ſidera ſideribus addita, quaſi gemmæ gemmis appoſitæ collucebunt! O quàm nitidum tunc erit cælum, in cujus Zodiaco ſuper omnes jam jam pleniſſimè coruſcat *Virgo*, Magiſtra veſtra; flammeſcit, qui divinum pectus in amorem ſui vulneravit, Joannes *Sagittarius*; rutilat doctrinarum firmitate robuſtus Auguſtinus *Leo*; irradiat diu mutus, ſed tandem fortiſſimè immugiens *Taurus* de

 Aquino;

Aquino; micant, ut ſpes eſt, *Gemini* de Societate Suarezius & Vaſquezius! Inardeſcitiſne, AA. amore tantæ pulchritudinis; & in regionem tot ſtellarum flammis illuſtrem, tot ſidereis pyropis interſtinctam, deſideria veſtra ablegatis? Imò verò jam ablegaſtis. Et quia renuitis eſſe ignes, fanatici dicā? an erratici, ſolidiſſimè inſuper fixiſtis. Vnum tamen adhuc ſupereſſe video; ut ſcilicet omnes omnium Scientiarum & artium ſeu diſcipulos ſeu Magiſtros, ad ſcandendum Theologiæ verticem, humaniſſimè invitem, opportunéque præmoneam, cælum hoc nemini reſerandum eſſe, niſi ſolis Theologis & Cantoribus. Cùm enim ibi, ſingulis omnia, ſive DEUM ſuum, poſſidentibus, nulla de meo aut tuo dentur litigantium jurgia, nullæ juris dicundi occaſiones; & beatiſſimus illius vitæ ſtatus non admittat ullum corruptionis, aut morborum periculum! nec aliarum artium exercitia beatis ſubſerviant: non videntur habituri cælum Medici, Cauſidici,
cæte-

cæterique, artifices; sed soli Theologi & Cantores, qui Deum, ejusque misericordias vel cantent, vel loquantur in æternum. Dixi.

PRÆCONIUM.

QUoniam ex Salomonis sententia, cogitationes justorum judicia sunt viro Sapienti, omnino satagendum erit, intra cordis arcana tribunal constituere, rectáque facere judicia; mentem quoque velut in trutina suspendere ad ea, quæ conveniunt, & ad quodlibet agendum æquâ lance librare. S. Basil. hom. 12. ad popul.

 ORA-

ORATIO XI.

MARIA, de actionibus Christianorum licitis, vel illicitis edocta, ideóque prudens Magistra Theologiæ Moralis.

QUemadmodum hominibus, cœli terræque amænitate excitis, contingere ſolet, ut ubi in circumjacētem patriæ viciniam oculos infuderint, acies eorum ita ſtatim abripiantur, ut in liberrimis ampliſſimiſque terrarum quaſi theatris, vel unico tantùm intuitu videant omnia, vel in diverſa paulatim diſtractæ cernant cum montibus valles, cum vallibus fontes, cum fontibus prata, cum pratis flores; nullum tamen eorum videri deſinat priùs, quàm ſe ad hilarem oblectationem inferat alterum: ita dum oculos mentis in ampliſſimam Theologicæ Scientiæ regionem, quam Dei Mater complexa eſt univerſam, conijcio; videre mihi videor jam uno quaſi aciei jactu

jactu divinarum rerum ſcientias in ea ſimul omnes, jam multiplici ad ſingulas deflexione, hinc Divinitatis, ejuſdémque præconiorum profundam ſpeculatricem, inde vitiorum, virtutum, Sacramentorúmque arbitram; ibi controverſiarum judicem, & fidei Magiſtram; alibi ſacrarum litterarum Interpretem, & myſteriorum inibi latentium revelatricem. Quomodo enim obſecro, AA. cogitanti illam non illico ſubjicerentur iſtæ, cùm ſint illius præcipuæ partes, quibus conſtituitur, & hac ſola decorum varietate ad eam aſſurgat dignitatem, unde ſcientiarum omnium princeps audiat, eaſque tanto deſpiciat intervallo, quanto diſtare novimus ab humanis divina, ab immortalibus mortalia, ab infinitis finita, æterna ab interituris? Licet proinde vos quoque non ſine ingenti animorum jucunditate MARIAM, alibi opinionum varietate fluctuantes dirigere; alibi in fidei articulis nutantes ſolidare; alibi Scripturarum myſteria, ſenſu

cogitationéque ſuperiora, illuſtrare, unà mecum videritis, quando ſcilicet eam ſuper omnes Theologiæ aquilas ſublatam, & immenſum Divinitatis jubar propiùs intuentem paulò ante conſpeximus: quia tamen oculorum noſtrorum acies in pluribus diviſa, ideóq; debilior fuit, placet illos paulatim deflectere ad ſingula, & in unam conſcientiarum morúmq; conformatricem defigere fortiùs, ut eã veneremur affectuoſiùs.

Sed ecce, dum pleróſque veſtrûm à laudata conſcientiarum Arbitra in ſui obtutum trahi video, ac ingentem tum auribus tum oculis obijci voluptatem, animadverto ſimul ſupereſſe nonnullos tenebriones, qui, ex neſcio qua mentis caligine nondum evoluti, adduci non poſſunt, ut ſibi demum perſuadeant, verecundam Virginem, pudicamque Matronam excelluiſſe in ea ſcientia, quæ neceſſe habet quærere nonnunquam de materijs, quæ integro verecundiæ ſtatu, in caſtiſſimi hominis mentem ſe ſe inſinuare, aut in ali-

quam

quam imaginationem transire, aut longiori temporis momento cogitationem attinere difficulter possunt. Negant laudari hoc in Virgine â virginum Magistro, Hieronymo dictante: angelicæ puritatis æmulas in corpore velut extra corpus oportere vivere; decere cogitare cœlestia, non terrena, spiritualia non carnalia, cùm picem viscúmque tractantes facilè inquinentur. Præclara sanè argumenta! Quasi verò illustrissimus mundi oculus radijs suis cœnum subintrans continuò macularetur; quasi verò Luna, moderatrix Oceani, profundissimis aquis se se immergens non posset non immadescere; quasi verò Salamandra transire per ignes sine adustione nequiret, aut speculum objectas rerum turpitudines recipere sine infectione. O quid agimus mortales! Adeone pingui somniamus phantasmate, Deiparentem fuisse aliquam de plebe mulierum, quæ ex primigeniæ labis fomite contrahendis noxis sunt obnoxiæ? Ergone fugiendarum scien-

tia rerum periculosa est ijs, qui peccare non possunt? An ignoramus Marianarum plenitudinem gratiarum, quæ in MARIA omnem (moralem saltem) confregit potentiam radendi peccatorum viam, & vel leviter cespitandi? Si castissimam Virginis teneritudinem ad carnalia deflexa sauciat cogitatio, cur disertissima Patrum ora tantopere celebrant integerrimam illam attonitæ mentis quæstionem: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (a) Ah credite, AA. credite, non suo; sed intellectûs nostri vitio maculari posse MARIAM, quæ sive *electa ut sol* (b) sive *pulchra ut luna* ecclypsin subinde patitur, non sui splendoris aut luminis defectu, sed umbrosi hebetiorisque corporis oppositione. Non ego tam impudens sum, ut sentiam, adolescentem Virginem materijs illis animo frequentiùs inhæsisse, easdémque ab adulta jam Matrona curiosiùs fuisse discussas, quod studium pauculos fortasse incautos adusserit; hoc solùm assero, & contendo, implicatas Theo-

(a) Luc. c. 1.

(b) Cantic. c. 6.

Theologiæ quæstiones, quæ mores vitámque concernunt, ab ea feliciter explicari potuisse, nec ignorata, quæ ad illustrandam verecundam modestiam, ad cogendum in obsequia temperantiæ appetitum, ad implendas etiam justitiæ conjugalis leges plurimùm conducebant. Quam in sententiam, etsi alia me destituissent argumenta, id unum sanè pertraxisset, quòd sciam, tantam scientiæ hujus esse præstantiam, ut eam Deus amantissimæ Matri suæ negare non voluerit, quia sexcentas alias nobilium ornamentorum raritates, ad orbis totius stuporem, ideo liberaliter in eam congessit, ut dignitatum accessione, illius quoque dignitas ultra mensuram cumularetur. Enim verò non ibi de bullis, ampullísque litigantium Grammaticorum; non de fabulosis mercibus Poëtarum, supervacaneis parergis Rhetorum, inanibus argutandi formulis Philosophorum; non de ductis ab Archimede in pulvere lineis, dolio Diogenis, hastili Palladis, cythara Apolli-
nis,

nis, & imaginaria Platonis Republica: sed expenduntur suo pondere mortalium cogitationes omnes, affectus omnes, amores omnes, motus omnes, actus omnes; num odio an favore, pœnâ an præmio, cœlo an stygę digni sint, quique nos in hæreditariam possessionem regni cœlestis introducant. Suspicimus quandóque, ac principibus, vel eorum ministris dignissimam judicamus scientiam extendendi dominationis limites, capiendi provincias & regna, diffundendi in novam amplitudinem imperia, ipsósque subditos ad augustiorem dominorum suorum majestatem beandi: & tamen quis nescit, quàm in re caduca torqueant ingenia, exacuent curas, exhauriant vires; & sæpe, dum novarum ditionum adeunt dominia, è numero vivorum abeunt, simul terrarum domini, & mancipia Libitinæ. Non hoc intendit, quam in Dei-parente propugnamus, scientia; non est mortale, quod optat, Convenientibus rectarum actionum medijs adire

docet

docet perennatura cœlorum regna, ubi & supremæ felicitatis gloriæque fastigium, & divitiarum immensitas, & deliciarum æternitas, in præmium cedunt ijs, qui media illa edocti vivis vitæ coloribus imaginem Christi exprimere sunt conati. Neque enim Christianus esse, neque salutem consequi, neque civilem societatem, & quotidianam cum mortalibus consuetudinem tueri potest, qui harum institutionum laborat ignorantiâ. Quare iterum iterúmque concludo, ex moralis Theologiæ scientia non tantùm relucere præcellentem dignitatem, sed summam insuper emanare utilitatem, imò evidentem emergere sui necessitatem. Ut nemini prorsus negare fas sit, hinc causæ meæ tantum ponderis addi, quantùm abundare videtur ad pertrahendos auditorum meorum animos in annutum. De communi tamen Doctorum collegio non reputo MARIAM; quoniam eo loci subvectam arbitror, ubi Magistros reliquos, qui facultatis hujus supremos tenent

numeros,

numeros, adæquat, & excedit. Enim verò confixerint alij acutissimis sententijs dissidentium opinionum monstra; MARIA contrivit caput illius monstri, & monstrosissimi serpentis, cujus prima dissensionum semina in exitialem posteris sementem excreverunt. Erudiverint alij ad illiciti, licitique regulam mortales feliciter; Maria felicitatem hanc suâ supregressa est, ut quæ regulam vitæ nostræ Christum castissimis ulnis toties mensa est, & remensa. Evolverint alij convoluta, reserârint clausa, illustrârint obscura; Maria *sublimis puerpera* (a) Veritatem æternam utero suo involutam evolvit; *Clavis regia Christi* (b) mysteria salutis reseravit; *Mater luminis* (c) palpabiles non tantùm dubitantium animorum tenebras, sed umbras insuper minimásq; nebulas dissipavit. Profuderint alij sitientib9 divinæ Sapientiæ torrentem, detexerint hæsitantib9 salubria, ruminantibus profunda ordinãdæ consciẽtiæ consilia; Maria, & superavit illum torrentem,

(a) *S. Aug. ser. 2. de Assum:*
(b) *Buteo in hym: grac: 126.*
(c) *S. Io: Damas: in hym. de Assump.*

unicam

unicam divini Roris ſtillam, è ſinu æterni Patris demiſſam, in animas fidelium derivando; & ſaluberrima profundiſſimáque conſilia ſuggeſſit, ut quæ *Vniverſalis Conſiliatrix eſt*, (a) quæque teſte Ruperto (b) *velut Supremi conſilij princeps omnem novit diſſolvere quæſtionem.* Ecquidni princeps fuiſſet conſiliorum, quæ pacis principem, & magni conſilij Angelum mundo dedit? Quidni reſponſa illius videri diciqúe debuerint oracula, quæ ante ſæcula in conſilio habitavit, & *eruditis interfuit cogitationibus?* (c) Tunc nimirum, quando tres divinitatis Perſonæ conſilium ineuntes diviniſſimè concluſerunt: *Faciamus hominem ad imaginem & Similitudinem noſtram.* (d) Quis ille homo? *Primogenita* ante omnem creaturam Maria. Quod illud prototypon? Dei viventis, & omnia intuentis uberrimus intellectus, ad cujus imitationem uberius quóq; voluit intelligere Mariam. Dum enim magnus iſte rerum omnium opifex vaſtiſſimam hanc cælorum terrarúmque machinam fœcundâ

(a) *S. Albertus Magnus.*

(b) *Lib. 5. in Cant.*

(c) *Trev. c. 8.*

(d) *Geneſ. c. 1.*

dâ intellectûs ubertate conciperet, & cælis Solem, Lunam, aliásque desuper micantes faculas; terris verò divitem florulentiæ ac fructuum varietatem in ornatum designaret; jam tunc felicissima Virgo in vivacissimis divinæ mentis idæis versabatur; jam tunc deliciabatur Dominus cum *ancilla Domini, miraculo cunctorum filiorum, & filiarum hominum.* (a) Et quia cæteras eminentis naturæ gratias in se contraxit, credibile videtur, nactam simul fuisse intellectum, ad formanda consilia perspicacissimum. Atque hinc, opinor, Hipponensium Antistes Augustinus *dignam* judicavit, *quæ appellaretur Dei forma*; hinc sine facundiæ popysmis â disertissimis Oratoribus audit supremus, inter homines, divinæ Sapientiæ partus; eruditarum præses cogitationum; *Mystici arcani consilij*; (b) *turris David, ædificata cum propugnaculis*; (c) vel, ut legit Vatablus: *ædificata, ad usum dirigendi homines.* Quæ omnia non vulgare conficiunt argumentum, pretiosissimos moralis Theologiæ thesauros Dei-Parenti

tunc

(a) *B. Rup. Abb. l. 2. in Cant.*

(b) *Hym. græc. apud Raynaud. in Nom:*

(c) *Cant. 9. 4.*

tunc esse collatos, adeóque in ijs, quæ ad conformem vitæ rationem pertinent, eruditissimam fuisse Magistram, & Christianæ conscientiæ ducem præstantissimam. Néque discedunt ab hac nostra sententia complures alij, humanâ divináque sapientiâ conspicui per orbem Doctores. Si enim eorum mentes curiosiùs disquiram, respondebunt apud Joannem Carthagenam: (a) Maria *illuminatrix est mortalium.* Si interrogem Richardum â S. Laurentio, (b) reponet: *Maria os est Ecclesiæ.* Si percontet Andream Cretensem, juratum Virginis Encomiasten, (c) dicet: *Maria divinarum revelationum fons est, qui exhauriri non potest.* Si sciscitet ex Methodio fortissimo Christi Martyre, libenter asseret: *Maria fax est fidelium.* (d) Si denique attendam Seraphicæ familiæ jubar Bernardinum, propugnabit ardenter, fieri non potuisse, ut omne omnino etiam levissimum peccatum Maria vitârit, *nisi maximam Sapientiam acceperit omnium, & agendorum, & vitandorum, & amandorum, & odiendorum*

(a) *Tom.* 2. *l.* 2. *hom.* 8.

(b) *Lib.* 12. *p.* 1828.

(c) *Serm. de Assum.*

(d) *In orat. ad Hypa. Domini.*

rum, & credendorum, & non credendorum.

(a) *S. Bernardin: tom. 3. tract. de B.V. ferm: 7. a. 3. c. 4.*

(a) Ecce causæ meæ patronos, argumenti præcones, veritatis tubas, & Marianarum propugnatores scientiarum! Quid ultra exspectatis Auditores? Vultis, addam meridiano diei Solem, Soli lucem, luci radios? Non eget dies sole, sol luce, neque sententiæ meæ veritas exaggeratione. Procurata superfluæ facundiæ verba fuci sunt, lumen veritatis oberrantes, & non leviter impingentes. Hæc, ad ipsam pene nuditatem exposita, renuit adscititio sermonis amictu indui, vel sinuosis perjodorum involucris involvi. Nuda videri gaudet, amátque semper. Agam proinde silentiosum quodammodo Harpocratem, ac torquendis ultro, fuséque premendis rationibus abstinebo, quamvis non una se se mihi offerat in obsequium. Silebo exornatam fuisse Philosophiæ institutionibus, dicere debebam pretiosis unionibus, quibus humanus animus partim ad rerum executionem vehementer illustratur, & sine quibus functionum

ctionum noſtrarum progreſſus, tanquam in nocte, dubij trepidique oberrarent. Nihil dicam de præcellenti, qua pollebat, tum divinarum, tum civilium legum peritiâ, quam ſororio quodam vinculo cum morali Theologia connexam prudentiores agnoſcunt, & cujus præſidio non minus, quàm Philoſophiæ, practicas veritates doceri aſſerit non ignobilis Profeſſor Salmanticæ. (a) Non blandiar cauſæ meæ, quòd ſciam ex glorioſo athleta Ignatio, populum copioſo avidóque triviſſe pede humile MARIÆ limen, & ab ore illius ſuſpenſos pependiſſe, déque Chriſtiani hominis erudiendis moribus aure ac mente ſententias excepiſſe. Præteribo inſignem, & nonniſi magnâ gratiæ copiâ comparabilem dexteritatem abſolvendi delinquentes, quâ cum pluribus mortalium, quorum *Abſolutio* fuit (b), ſuo modo excelluit; præſertim cum Magno Joanne, quem non tantùm utero clauſum, ſed inſuper originalis peccati nexu conſtrictum, & Davidicum illud gementem;

(a) *Hen: Henriquez in proam: ſumma Theol: Moral.*

(b) *S. Anſel: alloqui cœl. 24 & hym: gr. apud Buteo:*

In peccatis concepit me mater mea, feliciſſimè abſolvit. Quid igitur aliud agam, Auditores? Loquar nihilominus,an tacebo? Nè veſtrâ abutar audiendi benevolentiâ, tacebo, & ampliore eloquentiâ digniſſima, fixis demum, velut in præſentia mentis oculis, contemplabor. Conſiderabo ſerenâ vultûs majeſtate venerabilem Matronam, ab aſcenſu in cœlum Filij domeſticas inter tenuiſſimi laris anguſtias, pro temporum diviſione, jam orationi, lectioni, aut manuum laboribus intentam; jam ad explicandos veritatis aphoriſmos modeſtiſſimè conſidentem: videbo jam virorum fæminarúmque infimos, jam abeuntibus iſtis adeſſe medios, quandóque etiam ſummos conſilij capiendi causâ adproperare: obſervabo aliosadſtare mente attonitos, & quaſi perplexos urgere dubia, notare reſponſa; alios abire hilares, laudare documenta, probare conſilia, & in eorum amplexum geſtiente quadam voluntate proruere: intuebor ſubinde Virgineam manum, calamo

lamo implicatam, & nec Ignatio ſolùm, aut Meſſanenſibus, aut Florentinis; ſed alijs quoque exarare litteras, colligere opinionum varietate diſtractos, ſolidare dubios, exonerare ſcrupulis onuſtos, adferre conſcientijs afflictis ſolatia, ſuggerere diſciplinam rudibus, directionem errantibus, ſalutem deſperatis: auſcultabo denique cum angelis & amicis ejus, quid eruditionis, aut conſilij det Filij ſui diſcipulis; *nam etſi Apoſtoli per revelationem Spiritus Sancti edocti fuerint in omnem veritatem; incomparabiliter tamen eminentiùs, ac manifeſtiùs ipſa Virgo Beata per eundem Spiritum Sanctum veritatis profunditatem intelligebat.* (a) Et ubi tandem ex taciturnis his ſeu cogitationibus, ſeu contemplationibus emerſero, tum demum, quo licet affectu, qua potero voce exclamabo: O MARIA! *Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis,* (b) dat divinorum rudibus, dat vitæ melioris imperitis. Tunc demum celebrabo Dei Matrem eruditiſſimam humanarum actionum Magiſtram,

(a) *S. Anſel. lib. de Excell. Virg.*

(b) *Pſ. 118.*

virtutum præconem, vitiorum exagitatricem, falsarum aut dubiarum sententiarum arbitram, errantium animorum cynosuram, nostræ animam religionis. Favebo posteritati novam Deboram, solertissimam populi judicem, (a) qualem vetus religio non sine veneratione adamavit; nam quemadmodum illa sublimi pollens ingenio, Numinis afflata Spiritu, cœlestium arcanorum interpres, multorum triumphatrix hostium, hebræam gentem moderabatur in dubijs, & acri judicio regebat; ita, imò longè sapientiùs, Maximi ter Optimi Dei Parens sacerrimis veritatibus plena, solertiâ vivax, providentiâ obarmata, circumspectione cauta, novellum Christi populum dirigebat, æquitate momenta rerum ponderando, gerendorum media celeritate mentis suggerendo, notatos futurorum exitus solicitè denuntiando, & superare difficultates, antevertere hostium machinas, sedare intestinos animorum tumultus, dexterrimè perdocendo. Gratulabor

(a) *Iudic.* c. 4.

tulabor illi novam, & fulgentiſſimam *Columnam ignis*, in hoc vaſtiſſimo mundi deſerto ſuccenſam; (a) nam quemadmodum vetus illa judæis, condenſa Canopi nocte circumfuſis, illuxit, & per itinerum errores, errorúmque moleſtias dux fuit in jucundiſſimæ Palæſtinæ regionem, lacte & melle manantem; ita glorioſiſſima mulierum MARIA, ſtaturæ proceritate pulchra, & opulentiſſimo ſole undequaque amicta, errantibus, ignorantibúſque affulſit, & non tam redivivas, quàm nunquam plenè mortuas Ægypti tenebras in multorum animis ſua luce disijciens, viam oſtendit in regionem dulciſſimæ ac æternæ felicitatis. Prædicabo illi non fabuloſam, ſeu ſplendidis Poëtarum commentis veſtitam, ſed lucidiſſimæ veritatis candore circumdatam Ariadnam novam, quæ ab amantiſſimo ſui, non Dædalo, ſed Chriſto inſtructa, per mundanarum fallaciarum ambages planiſſimè direxit multos, & deviantes ex errorum aut diverſa ſententium Labyrintho reduxit, tra-

(a) *Buteo hym: gr. p. 122.*

hens omnes in funiculis novi Adam (a) five in filo, non Ariadneæ, fed Chriftianiffimæ charitatis. Sic enim loqui ut audeam, facit Hierofolymorum Epifcopus Andreas, qui commenta veterum veritate correcturus, errantium ducem celebrat DEI Matrem. *Elegit*, inquit, *& præelegit eam Deus, quæ ab æterno ordinata dicitur, ut humanum genus ab errorum ambagibus, criminúmque cæcis anfractibus liberatum, æternitati, donante Filio, redonaret.* (b)

(a) *Osea c. 11.*

(b) *Apud nostrum Leon. Sanctium præf. 13. de B. V.*

Eftne igitur aliquis, qui in via mandatorum Dei ab aliquo Minotauro, feu informi vitiorum monftro obfidetur, timétque nè in tyrannicam deveniat poteftatem? Vix dubito. Quotidiani cafus, & occafus clandeftinas arguunt inferorum infidias, in quas incauti præcipitamur. Eftne aliquis, quem in arduo ac diuturno conftitutum itinere deficiunt vires? Nemo ambigat. Quàm diu *à Domino peregrinamur*, (c) fatigamur, tanto majore laffitudine, quanto major eft error viæ: & viatores inter funt non pauci, qui ex hebete mentis

(c) *2. ad Cor. c. 5.*

mentis perplexitate non progrediuntur ad Dominum; sed ſtant attoniti, ſurdiq́ue canentibus illud: *Non progredi eſt regredi.* Eſtne aliquis, cui Labyrinthus intricatis erroribus faceſſit negotium? nullus interroget. Conſcientiæ *labor intus* omnis eſt; toto nonnunquam conatuum, curarúmq; impendio exhauriendus. Eſtne aliquis, qui ſine duce hunc vitæ curſum emetiri præſumet, neque ſuſcipiet comitem, cujus fideli ductu in termino laborum, ſummæq́ue felicitatis apice conſtituatur? Vix mihi perſvadeo. Nam perplexæ ſunt plerúmque veræ felicitatis viæ, quas ideo periculosè viator graditur, quia *dux itineris in conſpectu non eſt.* (a) Multum inſuper refert, quo duce quis viarum premat ardua. Omne, quamvis liberaliſſimum, viatici pretium excedit fidelis per infeſta locorum ductor; cùm præterea verum ſit illud: *Væ ſoli!* Exiſtimo proinde, neminem veſtrum eſſe, Auditores, qui (cùm viatores ſimus, quotquot ſumus) Ducatum reſpuat; illum præſertim, cui preti-

(a) *Pſal.* 79.

ium fecit solicita pro nobis MARIA. Hæc enim sive Ariadna nobis fuerit vera; per implexos dubiorum mæandros, ancipites consiliorum flexus, sinuosas rerum agendarum ambages felicissimè ducet: sive columna ignis in hoc deserto illuxerit; dissolvet cordium nostrorum frigus, exuret vitiorum radices, succendet virtutum flammas, illustrabit intellectuum recessus, déque flammeo suo calore, quo velut torpentia corpora in diviniorem vitam animemur, liberaliter communicabit: sive demum habere voluerimus Deboram, conscientiarum nostrarum ducem; præmuniet nos contra vaferrimos generis humani hostes; succinget veritatis cingulo, teget salutis galeâ, armabit gladio Spiritûs, cooperiet scuto fidei, vel aliquo Persei clypeo, crystallino quidem, sed non fragili; ut & vim hostium soliditate materiæ sustineamus, & subobscuras eorum insidias in forma pellucida dispiciamus, caveamus. Atque ita seu ducti, seu illuminati, seu animati ab ea, quæ

quæ est *Dux*, *Lux*, & *vita*, (a) terminum promissæ beatitatis assequemur feliciter, quâ si excideremus, prô quanti, quámque miserabiles essemus *Casuistæ*. Dixi.

(a) *S. Io: Damasc. apud Nadasi in Ann: Marian:*

PRÆCONIUM.

SApientia *ædificavit Domum suam* (MARIAM) *supra petram, & descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti* (buccinatores hæretici) *& irruerunt in Domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* Ex Matth: c. 7.

ORATIO XII.

MARIA, hæresum, & falsarum opinionum interemptrix, ideóque gloriosa Magistra Controversiarum.

MA-

MARIA in explicandis fidei mysterijs, illiúsque hostibus seu gratiosè capiendis, seu fortiter profligandis locuta est victorias; nos ejusdem loquemur gloriam & triumphos, Auditores humanissimi. Decet enim, ut illi debitos tribuamus honores, & im̃ortalia, si fieri potest, laudum monumenta ponamus, cui mortalitas ipsa cessisse jam videtur in trophæum, cùm illam virtute vivâ, vivísque meritis loquatur adhuc, & locutura sit sæculis omni facundiâ facundior. Injurius sit, maléque invidus, aut turpiter ingratus, qui hanc honoris speciem Dei-Parenti vel neget, vel non ferat, vel si felicior arridet fortuna, non augeat, non magis exornet. Ad nominis propagandi gloriam annalibus inscripti sunt hostium victores Macedones; Poëtarum versibus cantati Agamemnones; oblivioni subtracti Hannibales; panegyricis celebrati Scipiones; marmoreis molibus honorati Cæsares, profana Nomina! Sacratissima igitur majorum hostium tri-

triumphatrix Maria, ipsâ æternitatis animâ animata, necesse habet, ut perennet. Illi præsidium erant suæ nationis aut patriæ; hæc propugnaculum est totius Ecclesiæ:illi ducebant legiones hominum impiorum; hæc aciem ordinabat fidelium populorum: illi contra infestos Reipub. cuneos stabant velut muri ahenei; hæc contra hostes fidei velut Turris David, ex qua mille pendent clypei: pugnabant illi bellicarum machinarum robore, ensium acie, sagittarum cuspide; certavit ista svavissimo verborum pondere, modestissimóque rationum acumine: propulsabant illi avidos provinciarum prædones, invasores, & eversores; hæc ipsa cæli odia, animarum latrones, generis humani probra, inferni monstra triumphavit. Repeto proinde: si adeo laboravit antiquitas, ut suorum heroum nomina sera celebraret posteritas; majori solicitudine solicitos nos esse oportebit, ut augustissimam Viraginem, & ingeniosam propugnandæ fidei

nostræ Magistram, immortali loquamur memoriâ, & nunquam interituro honoris monumento honoremus. Verùm hìc labor, hoc opus est. Nam si petitam in condendis obeliscis provocemus Ægyptum, ut Mariani nominis celsitudini suam, suorúmque addicat operam, & aliquem non tam manibus, quàm ingenio elaboratum erigat obeliscum; frustra videbimur agere: mortalium siquidem opera mortalia sunt, suóque se tandem amittunt in interitu. Si cælo æmulam, & historiarum imaginibus insignitam construamus pyramidem; pulchrum etiam opus posuerimus; sed quod unius alteriusve sæculi evolutum tempus lapsu involvet adeo gravi, ut de ruderibus amplius nunquam se se colligat. Si qualia virtus de hostium exuvijs spolijsque comparavit heroibus olim trophæa, talia quóque erigamus hodie Mariæ; necdum meritis ejus, utpote immortalibus, respondebimus, quia etiam ista honoris ornamenta in floccidam abeunt vetustatem, tan-
demque

demque ab ipsa oblivione trahuntur in spolia. Si denique (quamvis vix aliquid possimus) Romanorum more in triumphales arcus paremus plures de marmore portas, & pensiles in victoriæ laurum suspendamus de floribus hortos; necdum satis faciemus contestando Virginis honori, quia & marmora fatiscunt, & flores inter ipsa odorantium oscula flaccescunt, expirántque, dum adhuc spirant. Quid igitur agendum, ubi tentatus honor impar est honorandæ? Num in magnis voluisse sat est, quando rei apparandæ par nullus est conatus? Ita quidem videri posset, si hæc ipsa voluntas alia non abundet facultate. Sed voluisse satis non est; si, quod nequis in ære, marmore, aut metallo honoris trophæum erigere, non erigas in animo, néque insculpas. Simulachra cordium, & voces, plausuum internorum indices, depromendæ sunt, quando exterioris pompæ deest majestas, & sumptuosa structurarum non suppetit magnificentia. Similiter

liter proinde nos agere oportet, AA. vestrosque non oculos, sed animos invitare, quibus erecta in cordibus piorum spectetis trophæa, quæ vel divina Sapientia Dilectæ Matri, vel sacratiores virgines contubernali, vel Sabæi reges Reginæ, vel Apostoli Magistræ, vel Theologi Theophoræ, vel clientes Patronæ, vel universa Ecclesia potentissimæ, atque invictissimæ suæ Protectrici concinnârunt; ut mecum tandem unanimiter concludatis, MARIAM & æquissimam Controversiarum fuisse arbitram, & eximiam docendæ propugnandæque fidei Magistram.

Trophæum primum, primámque gloriæ pyramidem Virgini, seu potius Viragini erectura Divina Sapientia, necesse habuit substernere basim tanto solidiorem, quanto sublimiori fastigio illam erat coronatura, quantóque plura clientum aliorum trophæa eidem erant innixura. Substravisse autem omni ex parte solidissimam, eámque pulcherrimè jecisse, dubitaverit ille, qui nescit, quan-

quantas impenderit vires in formanda hac *Terra Virgine*, *ex qua* (verba sunt Andreæ Hierosolymitani) *novus Adam, fictione ineffabili á DEO formatus, & appellatus est, ut veteri Adamo salutem recuperaret.* (a) Nam cùm tellurem alteram tanta ornamentorum verietate reddiderit formosam, ut huic parti vernantiam, illi florulentiam; huic montium culmina, illi fontium flumina; huic auri argentique copiam, illi fulgentium lapidum pretia; huic fructuum opulentiam, illi formosarum arborum nemora contulerit: tum vel maximè censendum est, terram istam, terram Virginem, *Terram Domini benedictam* (b), *Terram, de qua veritas orta est,* (c) omni pulchritudinis, ac præstantiæ genere exornâsse. Exaltata est, quasi *cedrus* in Libano, quasi *Cypressus* in monte Sion, quasi *palma* in Cades, quasi *oliva* in campis, quasi *platanus* juxta aquam in plateis; ecce viridaria! Ipsa fuit *mons in vertice montium, exaltatus super colles*; (d) ecce montium altitudinem! In medio castissimi pectoris præparabatur

(a) *Apud Iac. Pontan: in serto nono Deip:*

(b) *Arnob. in Ps. 84.*

(c) *S. Bern. serm. de aqua ductu, in Nat. B. V. S. Aug. in Psal. 84.*

(d) *S. Greg. l. 1. in l. 1. Reg. init.*

gemellus fons lactis virginei; ecce fontium salubritatem! *Poma nova & vetera dilecte mi servavi tibi!* (a) ecce fructuum abundantiam! *Maria vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso;* (b) ecce lapidum pretiosorum raritatem! *Flores apparuerunt in terra nostra,* (c) in qua divinus Sponsus ita sibi complacuit, ut diceret: *Lectulus noster floridus est;* (d) ecce amænam florulentiam! Quid plura? Denique omnium, quæ Matrem DEI decebant, gratiarum opulentiam, omnium decorum compendium, omnium nominum insignia in se contraxit Maria; ut dubitandum non sit, eam in solidissimam nitidissimámque basim evasisse plurimorum trophæorum, quibus irrefragabilis credendorum Magistra, & fortissima hæresum interemptrix agnosceretur. Si proinde divina Sapientia omni lapide pretioso sic condecoravit vas electionis Mariam; quis non videt, eam non tantum in Sapphiris, sed & in Jaspide fundatam fuisse, adeóque, contra Sanctissimæ Religionis incantatores eni-

(a) *Cantic. c. 7.*

(b) *Carthagen: ex Ierem. c. 18. & S. Fulb. ser. 2. de B. V.*

(c) *Cantic. c. 2.*

(d) *Cantic. c. 1.*

enituisse virtute non minore, quàm ipse Jaspis, qui probatâ multorum experientiâ contra quascunque incantationes præpollet? Et nunquid audivimus sæpiùs Isaiam (a) seu latinè dicentem: *Ponam Jaspidem propugnacula tua*; seu hebraicè canentem: *Ponam Jaspidem soles tuos?* Cur Christianæ fidei Doctores, sive Soles & propugnacula, cognomento Jaspidis compellasset, nisi quia vim & robur habent exitiale hæreseos venenum enervandi, & incantantium hæreticorum blandimenta confundendi? Dicamus proinde bona verba Magistræ: MARIA *fundamentum primum Jaspis*, (b) & singulariter elaborata basis etiam mille pyramidum gloriosarum.

(a) *Isa. c. 54.*

(b) *Apoc. 21. v. 19.*

Sed & *lectulus floridus* est MARIA, quem sexaginta viri fortissimi, & in bella promptissimi circumstant, ac obvallant, Res sanè insolens, & facies cubilis regij admiranda. Quid enim in necem paratis cum geniali toro? quid militum tumultus cum loco quietis? quid ferratis pectori-

 bus

bus cum plumularum mollitie? quid armorum horror cum florum delicijs? Dicamus iterum bona verba Magistræ. Domum, septem substructam columnis, absolverat Sapientia; huic nè deessent amænitatum illecebræ, florentissimos adjunxit hortos, in quibus lectissimi cæterarum scientiarum crescebant flores: exinde copiosam florulentiam congessit in lectulum, in quo novem mensium spatio erat cubitura. Et quia satis non est abundare scientiarum floribus, quorum odore mortales trahantur, nisi adsint & arma, quibus hostes veritatis vel retundantur, vel eorum animi configantur; addidit virorum gladios & enses; sive, instruxit Matrem suam argumentorum robore, & sententiarum acumine, ut quemadmodum amænissimo teste Mendoza (a), reliqui in Ecclesia Doctores *flores gerunt, Christianorum naribus applicandos, & gladios hæreticorum animis infigendos*; ita Doctorum Magistra Christianæ scientiæ flores avidis audientium animis loqueretur; &, siquando

(a) *Fran: Mendoza in Viridario suo.*

quando daret occaſio, temerarias in fide opiniones rationum punctionibus configeret. Hoc autem ut faceret Filius DEI, exigebat ejus in Matrem oculatiſſima providentia, geniúſque filialis; hoc ut mereretur Mater DEI, fecerunt præſtantiſſimi elicitæ actus fidei: decet ſiquidem, ut quæ præcelluit credendo, credendorum præſtaret ſcientiâ, & dexteritate eadem propugnando.

Conſtitutâ ſic baſi tum gloriæ Marianæ, tum meæ dictionis, aliud non eſt reliquum, quàm ut debitas promiſſáſque moles ſuperſtruamus, & hebrææ Puellulæ, ſed maximæ Virginum, fideliſſimæ ſemper credentium heroinæ, controverſiarum dein arbitræ, fidei Magiſtræ, hæreſum triumphatrici, animarum in libertatem aſſertrici, multarum victoriarum parenti, trophæa ſuſtollamus.

Age igitur, O Maxima, Auguſtiſſimáque divinæ mentis ſoboles, Sapientia; erige unicum, & erit millenorũ compendium. Extrue primum, quod in Dei mente ſolùm concepta

promeruit, & excedet aliorum omnium, quæ evanida veterum heroum arrogantia expetere potuit, pretia & æstimationem. Advertite mentis oculos, AA. Ecce producuntur in altum exanimes, flaccidæq; virulentissimi Reguli cristæ: suffigitur truncum horrendi draconis corpus: suspenduntur, loricæ instar, exuviæ squamvis asperæ serpentis: extenditur sibilis exercita, sed exarmata incantantis blandúmque loquentis viperæ lingua: subnectuntur acuti in lethalem morsum multiplices gulosæ bestiæ dentes, qualibus etiam dentati nostri parentes vetitum invaserunt fructum: exhibentur seu nictibus seu ictibus infames semi-hominis Basilisci oculi, qui eorundem corda statim ac tacta sunt, everberârunt: apponitur obscurum turbulenti ac seditiosi cerebri latibulum, caput: compingitur inferna structuræ parte, manibus post terga revinctis Insipientia, Ignorantia, Hæresis, Superbia. Inobedientia, Gula, & tota Iniquitatis progenies: loquitur demum

demum basis ipsa inscriptam â Sapientia epigraphen: *Super aspidem & basiliscum ambulavit, & conculcavit leonem & draconem.* (a) Quid luculentius ad causæ meæ veritatem? quid solidius ad suscepti argumenti robur? quid illustrius ad Marianæ laudationis splendorem? Ista perfectò relatæ victoriæ insignia, virtutis decora, æternæ gloriæ monumenta jure quodam optimo debebantur Dei Matri; siquidem ipsa callidum illud, & versipelle caput, unde omnium hæresum malitia in humanum genus dimanavit, non tantùm innoxiè inambulavit; verùm etiam ijs ipsis innoxijs pedibus prorsus contrivit, nullo unquam errore decepta; sed ad confundendos errores ingeniosissimè concepta. Vive ergo! sic vive in Dei mente! sic demum vive nobis felicissima viventium MARIA! Vive ab omni posthac errandi periculo eximia; cùm contra summum hæresiarcham, legem Dei vaferrimè controvertentem adeo gloriosè substiteris! Vive erronum impugnatrix

(a) *Ps.* 90.

fortissima, contra sciolos doctissima, contra robustos dexterrima! & quia etiam nata in multorum mentibus inertes errorum tenebras copiosis doctrinarum tuarum radijs dispulisti; admitte tibi referri debitæ gratitudinis & venerationis affectus, quibus te mortales alij sunt prosecuti.

Intra Sanctissimos templi Hierosolymitani parietes habitaverat tenerrima hæc Virgo, ut â mundi tumultibus abstracta, Deo, quo nihil sibi voluit esse præsentius, quodammodo foret vicinior, & formatis ad omnem sanctitatem vitæ actionibus, ipsius Divinitatis tandem evaderet Sacrarium. Cupidissimis amplexibus ibi prensabat virtutes omnes; & virtutum quælibet pro ea, & in ea concurrebat, quælibet eminebat. Magna in moribus gravitas; sed non minor in animo humilitas: explicata in conversatione humanitas; sed non contractior in gestibus maturitas: amabilis in aliarum virginum contubernio taciturnitas; sed non minus

minus grata in eodem affabilitas: ardentissimus in Deum amor; sed non remissa in proximum charitas, & Zelus animarum; *erant* siquidem, teste D. Hieronymo, *ei curæ Sodales; quibuscum vivebat.* (a) Unde factum, ut siquando eas inter (quod fieri pronissimum est) sinistrarum opinionum pullularent herbæ, ipsa convelleret; si proderetur in tractandis fidei mysterijs ariditas, ipsa credendorum articulorum instillaret succum; si adverteretur in nondum bene instructis puellis Religionis ignorantia, ipsa subigeret, sicq; â florente ætate floridas reportaret corollas Magisterij. Et quid aliud referret Virgo â virginibus? Etiam Romanis victoribus laureæ dabantur & coronæ. Etiam florido apparatu illustrium insignia, vel facta exprimi possunt, aut celebrari. (b) Ille demum triumphus gloriosior est, quem sinceri suorum affectus & facultas extruunt.

(a) *S. Hier: tom. 4. citatus â Ribad. in festo Præsent:*

(b) *P. Bapt. Ferr: in Flora l. 4. c. 1.*

Floream proinde pompam effinxerunt, & in animis suis spectandam proposuerunt virgines, quâ ostende-

rent, non tam de ignorantia mentium, quàm in floribus cordium suorum triumphasse MARIAM, sibique totas devicisse, ac devinxisse. Structuram advertite. Fundum latè tenebant semper aliàs in demissione crescentes, & sublimitatum nesciæ, multiplices violæ, viva doctæ humilitatis simulachra: ab his erigebant se se nativo in murice ardentes, hortorum principes, rosæ, luculenta exercitæ charitatis symbola: medium conficiebat multicolor, & in altum vergens florum concinnè ligatorum Sylvula, quæ Fidem & Pietatem, Modestiam & Temperantiam, Spem & Prudentiam, similésque Nazareæ Virginis virtutes insinuabat: inde cum hyacinthis porrigebantur sursum candidissimis folijs formosa lilia, integerrimarum virginum insignia: in cuspidem abibant amænæ florum sorores, irides, quæ quia pulchra proceritate virides foliorum suorum mucrones solent transcendere, Fortitudinis & Patientiæ fuerunt indices: fastigium deniq; ipsum coro-

coronabat insolitæ magnitudinis Rosa, supra horridulos, & corollarum undiq; baiulos ramos eminens, nec aliud loquens, quàm victorias, quas virginum Virgo tunc sibi peperit, quando contubernales suas odore scientiæ traxit, & fidei ignorantias, hinc inde pullulātes, doctrinarum aculeis ingeniosè confixit. Totam hanc florum machinam instar trophæi positam, similem fuisse illi floreæ pompæ ferculo, quod in Flora sua exhibet Ferrarius noster, (a) mihi liceat imaginari, simúlque credere, vehementer placuisse Virgineo cordi, cùm etiam in gratissimis puellarum cordibus fabricata fuerit, & Marianum fidei magisterium non obscurè comprobârit.

(a) *Lib.* 4. *c.* 1.

Sed & aliorum conatus apud Matrem gratiæ fuisse gratiosos, omnino persvasum habeo. Plausum proinde tulerint, quæ Serenissima Orientalium regum trias pro affectûs amplitudine honori Magistræ suæ concinnârunt; plausum, quæ felicissima Dei-Hominis soboles, &

Chri-

Christianæ fidei præcones Apostoli; plausum, quæ adultior, & â devotione celebrior mulierum sexus; plausum, quæ mortales alij, quos ipsa vel aversos â fide studiosissimè convertebat, vel roboratos magis corroborabat, (a) in grati animi significationem adornarunt. Ego enim sic existimo, Regios illos hospites, qui ab extremis mundi partibus obsequiosi advenerant, non prius in sua dimissos regna, quàm arcanis fidei fuissent eruditi, & argumentorum robore ad confundendam gentilem stoliditatem, convellendam Deorum multitudinem, propugnandam unius Numinis augustissimam Triadem solidissimè obarmati. Hoc autem â Sanctissima Matre præstari potuisse faciliùs, quàm alia ratione insolita, ideóque præstitum, enuntio perlibenter; tum quia suspicor sic voluisse DEUM, cui doctissima scholarum Lycæa id, quod in humanis faciliùs est, censent plerúmque tribuendum; tum quia profusi in Mariana encomia Patres eam vocant

(a) P. Ribad. in vita B. V.

cant *Magistram gentium* ; (a) tum quia decebat, ut qui *apertis Thesauris suis*, etiam Matri DEI, *obtulerunt munera*, thesaurum necessariæ Scientiæ ab ea referrent ; quique *in lumine fidei & splendore ortus* ejus accurrerant, in *lumine fidei* ad propria reverterentur. Sed quod demum trophæi genus de discussis gentilitatis tenebris, déque subacta unius Numinis ignorantia reduces apparârunt? Cogitari potest, Auditores, oratione exprimi vix potest. Suspicor tamen ad celebrandam Mariæ sapientiam, auro alias â Sapiente comparari solitam (b) erexisse trophæum aureum, quale Q. Cæcilio Metello adstruunt historiæ ; (c) ad declarandam verò, quam undique summam spirabat, devotionem, venustè interposuisse thuris copiam, quia *odor vestimentorum* ejus *sicut odor thuris* ; (d) ad contestandã tenerrimam dilectionem, quâ in Deum Filium ferebatur Mater, addidisse fasciculos mirrhæ, quia ipsa de irrigui pectoris sui sarcinula dicit alicubi: *Fasciculus mirrhæ dilectus meus mihi.* (e) Sed

(a) *S. Aug. ser. 6. de Nat. B. V.*

(b) *Prov. c. 8.*

(c) *Alex. ab Alex. l. 1. c. 22.*

(d) *Cant: c. 4. v. 14.*

(e) *Cant: c. 1. v. 13.*

Sed etiam hæc loqui possumus, non eloqui; premere, non exprimere; ornare facundiæ nitore, non exornare. Quid igitur agendum est? Pridem dixi. Cogitari possunt â fœcundis magnarum cogitationū hominibus, ut eorū magnitudini detrahatur nihil; de causæ tamen veritate nemo debet dubitare. Quod dum vos facitis, ego dictionis meæ cursum eò dirigo, unde novum Mariani magisterij argumentum eruamus, novúmque gloriæ trophæum fidei Assertrici gratulemur, prædicemus.

Apostolos, & Christianæ historiæ Scriptores in Religionis nostræ mysterijs, post ascensum in cælos Magistri, fuisse â magna Matre institutos, & non rarò ingentes difficultates ab ea subactas, sive in primo illo, cui saltem non procul abfuit, adolescentis Ecclesiæ Concilio; sive in privatis contra hæreticam pravitatem consultationibus; sive in alijs explicandarum tricarum occasionibus, testantur Sanctissimi juxta ac facundissimi

dissimi Oratores, Hieronymus (a) Anselmus (b) Antonin9 (c) Ildephonsus (d) Idiota (e) Gerson (f) Rupertus (g) Evsebius Emissenus (h Dionysius Carthusianus (i) & utérque Richardus â SS. Laurentio (k) & Victore. (l) *Licèt* enim *Apostoli per Spiritum Sanctum omnia cognoverint, & in omnem edocti pervenerint veritatem,* ut loquitur purpuratus Pater; existimat nihilominus cum laudatis etiamnum Authoribus, ac præsertim cum Ildephonso, eosdem Apostolos cum Maria, de mystério Incarnationis, infantia Christi, similibúsque doctrinæ nostræ articulis contulisse frequentiùs, ac velut discipulos Magistram consuluisse; ut, quæ posteritati consignaturi erant, luculentè testata, & quæ in terrarum angulis prædicaturi, authoritate Sedis Sapientiæ haberent roborata. Verùm quod Minerval, quæ merces, quis magisterij honor tantæ cessit Magistræ, quodve memoris sempérque durantis officij argumentum posuerunt discipuli? Num pro floribus doctrinarum, flores

(a) *Serm: qui de Ass:*
(b) *De Excell: V. c. 7.*
(c) *Par. 4. tit: 15. c 19.*
(d) *Serm. 5. de Assum:*
(e) *In Contempl. B. V. c. 3.*
(f) *Tract. 2. in Magnif:*
(g) *Lib. 11. in Cant: 1.*
(h) *Ser. 2. de Nat. Domini.*
(i) *In S. D. 16. c. 2.*
(k) *Lib. 2. de laud: B. V.*
(l) *Lib. 2. de Emman: p. 2.*

res animorum ſuorum regeſſerunt in ſinum ejus, vel eoſdem ligaverunt in ſerta, vel ſe ipſos coëgerunt in laurum, Sacro Virginis vertici implicandam? Ita quidem: Corona Magiſtræ diſcipuli, quemadmodum *Corona ſenum Filij*; (a) non ſtitit tamen hîc promptiſſimus eorum animus; non corona ſolùm eſſe voluerunt, ſed inſuper inſigne trophæum, quale Romanis olim Græciſque victoribus ſolicita patriæ gratitudo ſtatuit, quando deficiente auro, marmore, vel ære, in proceris arboribus, frequenti ramo truncatis, victoriæ inſignia ſuſpendêre, vel inſcripſêre. (b) *Verbo fidei*(ait S. Gregorius Nyſſenus) *plantavit paradiſum malorum punicorum, cedrorum, reliquarúmque arborum Maria*, (c) dum fidei noſtræ apices explicando, implexóſque difficultatum nodos docta facilitate dirimendo, Apoſtolos adeo immutavit, ut non nemo dicere fortaſſe potuerit: *Video homines, velut arbores, ambulantes.* (d) Et quorſum iſta tam mirabilis Metamorphoſis? Nimirum, ut in his arboribus, cedris,

(a) *Prov. c.* 17.

(b) *Citatus Alex: ab Alex:*

(c) *Apud Laur. Chryſog. p.* 1. *Mundi Mar: D.* 17.

(d) *Marc. c.* 8.

cedris, & malis, â tyrannide variè truncatis, concisis, sectis, & confixis, gloriosa doctæ defensæque fidei trophæa statuerentur, seris locutura posteris; imò æternùm duratura, quia in cælestem paradisum translatæ arbores, suo nunquam deficient vigore. Vivet igitur etiam æternùm gloriosissima fidei, & controversiarum arbitra Maria! Vivet in discipulis Magistra, in victoribus victrix, in triumphantibus triumphatrix! Vivet denique in sui præconibus talis, qualem hodie imbecillis eloquentiæ conatu exhibere contendo, & vos pronissima cordium inclinatione jam creditis, ac veneramini. Et verò laudabiliter. Quis enim in hoc non consentiret magnificè, in quod nobilissima totius orbis Ecclesiæque pars magnificentissimè conspirat, & non nominibus tantùm condecorat, verùm etiam exquisitis trophæis contestatur? Certè gravissimus Patrum & Theologorum Senatus, Marianam primipilorum Ecclesiæ pietatem æmulaturus, cùm adver-

teret, adeo validum fidei munimentum esse Mariam, ut omnes hæreticorum insultus in eo fracti conciderent! viderétque ex veterum figurarum umbris prodire tandem in veritatis lucem Davidicam illam turrim, ædificatam cum propugnaculis, & mille clypeis, ex ea pendentibus, ornatam; (a) illico arripuit calamos, & inscribenda singulis elogia concinnavit. Et primus quidem (si opinari sic licet) fuit magnum illud Areopagi sidus, & domesticum Athenarum lumen, Dionysius, qui divinæ Maternitatis excellentiâ perculsus cum non posset salva fide scribere: MARIA DEA, saltem scripsit: *Maria Dei Mater*. Hunc prope secutus, fortis pro Christiana Religione pugil, Ignatius, Matris & Filij discipulus, expressit sequentia: *Nostræ Religionis Magistra.* (b) Utrumque Patres alij unanimi, religiosáque pietate imitaturi, & Marianorum titulorum seriem ordinaturi, reliqua consignârunt oracula, quibus orationis meæ veritas tum spectanda, tum

(a) *Cant.* c. 4.

(b) *S. Ign. Mart. Epist:* 1.

tum legenda non obſcurè proponitur. Legite, quæ quondam in Eccleſiæ luce calamo exarata reliquerint ſinguli. S. Athanaſius: *Interemptrix hæreſum*; (a) S. Ildephonſus: *Signaculum fidei*; (b) Gregorius Thaumaturgus: *Fidelium ſtabilimentum*; (c) Andreas Cretenſis: *Vivum fluentum fidei noſtræ*; (d) Cyrillus Alexandrinus: *Sceptrum, & norma Orthodoxæ fidei*; (e) S. Epiphanius: *Virgo, quæ fidem ter optatam orbi prædicáſti*; (f) Guilielmus Abbas: *Virgo, quæ cum novitijs fidei Sacra miſcebat colloquia*; (g) S. Rupertus: *Magiſtra neceſſaria, quæ viva voce omnem neceſſariò tenendam demonſtraret regulam fidei*; (h) S. Antoninus: *Virgo, quæ cunctas hæreſes profligat non ſecus, ac Scriptura refellit*; (i) Angelus S. Brigittæ: *Omnium in fide catholica Perfectiſſima roboratrix*. (k)

Spiritus dicendi me deficeret, vóſq; audiendi promptitudo, ſi reliquorum texerem catalogum, & pro cauſa referrem elogia, quorum fundamenta Dei-parentem non leviter tunc informaverint, quando Sapien-

(a) *Ser. de Deipara ante 1300. annos*
(b) *Ser: 4. de Aſſum:*
(c) *Apud Ioan: Carthag:*
(d) *Ibidem.*
(e) *Hom. 6. contra Neſtor.*
(f) *S Epiph. orat: de laud. 3. V.*
(g) *Apud Delrio in Cant.*
(h) *Lib. 5. in Cant.*
(i) *Par. 4. tit. 18. c. 12. §. 9.*
(k) *In ſerm: quem S. Brigitta dictavit.*

tia æterna, universos scientiæ Dei thesauros secum ferens, virginei locum uteri occupavit. Verumtamen imperare mihi non possum, ut mellitissimæ Patrem eloquentiæ, Virginisque lactentem Bernardum penitus omittam, qui cum Authorum torrente, potissimum quidem de triumphantis MARIÆ contra hæreses suffragationibus; non obscurè tamen etiam de fidei scientia, quæ Viatrici ab ascensu Filij Magistræ inerat (a) eruditè disserens, facundo testimonio adstipulatur. Animadvertite, quâ verborum soliditate nostram sustineat veritatem: *MARIA*, inquit, *sola contrivit universam hæreticam pravitatem. Alius enim, de substantia carnis suæ Christum non edidisse, dogmatizabat; alius, non parvulum peperisse, sed reperisse, sibilabat; alius, vel post partum viro cognitam blasphemabat; alius, Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen* Θεοτόκος *sugillabat: sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & beatam eam dicunt omnes generationes.* (b) Ita, ita, O Mellifiue Bernarde! jacent

(a) *Theoph. Rayn: in Glossario Nomenclatoris.*

(b) *S. Ber: serm: Sign. Magnum.*

jacent etiamnum illa cœli odia, terræ probra, orci rabulæ, Marcionitæ, Carpocratiani, Ebionitæ, Helvidiani, Apollinaristæ, Joviniani, & similia Ecclesiæ monstra; jacent convicti, prostrati, â *forti Bellatrice* (a) penitus contriti; & superest aliud nihil, quàm probrosa eorum nomina, pudoris victimæ, putida, fætidáque memoria: sola interim Virgo canitur triumphis, cumulatur palmis, coronatur laureis, & sumptuosissimis per orbem trophæis honoratur. Dicite enim, amabo, quid sunt numero quasi innumera, magnitudine augusta, vastitate capacia, artificio stupenda, divitijs ditissima templa, Deo, in honorem Matris, constructa, quorum in solo mundi centro, Roma, quadringenta numeravit Andreas Fulvius; (b) ab uno Hispaniæ Rege duo millia Mariæ dicata, scripsit Hieronymus Blanca? (c) Dicam pro vobis breviter: Sunt fidei & Marianæ virtutis trophæa. Quid sunt templorum sacella, sacellorum aræ,

(a) *Apud Theoph. Rayn. in Glossario.*

(b) *Lib. de Antiq. Vrbis.*

(c) *In Comment. rerum Arragon. ad ann. 1235.*

 ara-

ararum ſtatuæ, ſtatuarum anathemata, â Monarchis, Regibus, Sacris Præſulibus, Toparchis, Civibus; & omni hominum genere religioſa liberalitate oblata, & appenſa? Sunt fidei, & Marianæ virtutis trophæa. Quid ſunt in ampliſſimis urbium foris erecti coloſſi, eductæ pyramides, excisi obeliſci, expoſitæ pro ædium tum ſacrarum, tum profanarum foribus imagines, aut lapidea Virginis ſimulachra? Sunt fidei, & Marianæ virtutis trophæa, quæ parthenia opulentorum hominum pietas ideo in publicum extulit, ut ſi pronæ in laudes linguæ aliquando deficerent, ipſi lapides loquerentur encomia, quæ populorum Reginæ, regnorum Præſidi, & fidei ac totius *Eccleſiæ Fundatrici* (a) jure debentur irrevocabili.

(a) *S. Cyrill. hom: 6. cont: Neſtor.*

Quanquam quid ab ingrato timemus ſilentio, cùm Eccleſiæ militantis ea ſit felicitas, quâ omnem ſui interitum excluſura ſub excidium orbis abibit è terreſtri militia in triumphos

phos cœleſtes, & tota æternitate Deiparæ accinet, quod in ejus templis ſub ſuaviſſima inſtrumentorum Symphonia, non ſine pia voluptate auditur frequentius : *Gaude Virgo; cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo!* Magis fortaſſe increpandæ ſunt officij noſtri moræ, quòd in tanta Marianæ gloriæ ſtudentium frequentia ſegnes ſimus adhuc, nec præeuntium veſtigia ſimili legamus affectu; cùm tamen in ea vivamus fidei ſerenitate, quam poſt bellorum nubila, & hæreſeon tenebras explicuit Dei Mater.

Verùm quis ſegnitatis nos arguat, qui pleno virium impendio in id unum hodie connitimur, ut glorioſiſſimæ hujus Matris & Magiſtræ triumphos exponamus & cumulemus. Erigite oculos, mentémque Auditores, dum nos trophæum erigimus, quo veſtram, & poſterorum imitationem provocamus, facti quoque imitatores veterum, qui non tantum ho-

hostium exuvias; sed ipsa etiam heroum suorum arma, memoriæ alendæ monumentum, proponebant. Ecce igitur *Scutum* robustissimum (*Scuto fidei* (a) Christianos obtegi oportet) in quo hæreticorum sagittæ innoxiè sunt exceptæ, ac vel confractæ, vel dissipatæ, vel in capita impetentium retortæ! Ecce *Loricam* impenetrabilem, quâ contra fidei hostes Matrem suam Deus induit, ut â timoribus domesticis semper esset liberrima, & ab insultibus externis penitus imunis! Ecce *Galeam salutis*, sub qua *Caput omnium bonorum* (b) modestissimè certavit cogitationum subtilitate, conceptuum acumine, & pondere sententiarum! Ecce *Gladium Spiritûs* acutissimum (quid enim DEI Verbo ingeniosius?) cujus acie ingeniosos difficultatum nodos expedivit, cujus cuspide plures abiêre compuncti, & errorum pœnitentes! Ecce *Lampadem* lucidissimam, honori Virginis æternùm arsuram; nam & illa in fidei tenebris *Lampas splendida*

(a) *S. Paul. ad Ephes. c. 6.*

(b) *S. Greg. tr. 7. l. 8. Ep. 21.*

(a)

(a) mundo fuit, eritque nobis *Lampas inextinguibilis* (b), quia non solùm semper durabit, illo subministrante oleum, cujus nomen *Oleum effusum*, Filius DEI; sed insuper Filio Mater condurabit æternùm, cujus nomen idem significat, quod *Illuminata*, seu *Illuminatrix* MARIA. (c)

Adeste proinde, quotquot stertitis errorum nocte involuti hæretici; adeste, quotquot gemitis dubiorum multitudine perplexi Catholici; adeste, quotquot estis sinceræ fidei, & æternæ salutis studiosi; adeste, quotquot cupitis in controversis Religionis nostræ mysterijs amplius erudiri discipuli: hæc *Lampas*, sive *Luminare minus* vult præesse hæreseos nocti, ut errore captos abstrahat potestatibus, & rectoribus tenebrarum; hæc Lampas liberale promittit oleum, quo in fortissimos fidei athletas ungantur quàm plurimi, & nulli unquam succumbant luctatori; hæc Lampas copiosam studentibus diffundet lucem, ad elucubrandos credendorum articulos, & illustrandas

(a) *Buteo hym. gr. p. 132.*

(b) *S. Cyril. Alex: l. 6. c. 6. con: Nest.*

(c) *SS. Patres apud Carthagen: tom. 2. l. 2. hom. 8.*

arcanorum obſcuritates; hæc denique Lampas, ſeu *Illuminatrix* MARIA communicabit diſcipulis ſuis de ampliſſimo illo lumine, quod, teſte Alberto Magno, vel rationis ſtudio, vel contemplationis oculo, vel angelorum apparitionibus, vel cœleſtis Legati diſcurſu, vel Dei revelationibus, vel virtute Spiritûs Sancti, vel inhabitatione ipſius Incarnatæ Deitatis ſibi comparavit, ut non tantum in cœlis exuta mortalitate, verùm etiam in terris vitalitate vegetâ, inter applauſus, in Magiſtram redundantes, magnificè celebrentur *Doctores Illuminati.* Dixi.

(a) *Albert. Mag. in cap. 1. Comment. in Lucam.*

PRÆCONIUM.

OMnis Scriptura, divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, vel arguendum; ad corripiendum, ad erudiendum in Juſtitia, ut perfectus ſit

sit homo DEI, *ad omne opus bonum instructus*. S. Paulus 2. ad Timoth. c. 3.

ORATIO XIII.

MARIA vas electionis, vero Sacrarum litterarum sensu abundans, ideóque Magistra Sacræ scripturæ.

SI quam fulminatus è cælo Paulus tituli magnitudinem ab increati Verbi desuper insonantis, facundiâ olim accepit, ejusdem eloquentissimi Verbi Parenti hodie tribuero, eámque obsequioso dicendi conatu cum D. Cypriano (a) *Vas electionis* compellavero; nihil contra honoris alieni prærogativam, nihil infra augustam tantæ Matris dignitatem, nihil supra rerum credibilium fidem, nihil extra obligationis meæ limites videbor pronuntiare, Auditores humanissimi. Etenim si geminus ille Apostolorum princeps, & gentium Doctor

(a) *Serm. de Nativ: Christi.*

ctor elogij hujus eminentiã ideo promeruit, quia portaturus erat sacratissimum solummodò Nomen coram gentibus; vel quia ex mente D. Hieronymi, *legis ac Scripturarum Sanctarum erat armarium* (a); cur non eâdem compellatione ausim prædicare Mariam, quæ non tantùm Nomen, sed ipsum etiam Nominis gerulum, JESUM, ulnis sinúque gestavit coram gentibus & Judæis; quámque *armarium vitæ* (b) seu vivæ Legis; & *Sacrarium Scripturarum sanctarum*, (c) & *excisum manu Sapientiæ* (d) *Vas mysteriorum omnium*, (e) & *arcam testamenti* tum novi tum veteris (f) in illustrium nominum congerie sacri vocitant Encomiastæ? Non derogatur commendandæ rei præstantiæ per titulos pluribus communes; nec irrogatur commendato injuria, si quam indeptus est laudem, eandem facinorum socijs sinat communicari. Cummunia sortiuntur encomia, qui communia concinnandis encomijs subministrant argumenta.

(a) *Epist. ad Paulinum.*

(b) *Chrysipp. orat. de Deip.*

(c) *Rupert. l. 4. in Cant.*

(d) *Adam de S. Victore, in prosa de Assump.*

(e) *Greg. Neocæs. orat. 2. de Annunt.*

(f) *B. Laur. Iustin. ser. de Nat. B. V.*

Verùm

Verùm ſatis non eſt obſequi paratiſſimo animo, ad Mariani Nominis propagandam gloriam illuſtre aliquid, ſed commune ac vulgare excogitaſſe; niſi etiam ejuſdem, quæ cæteris præferenda eſt, dignitati ſingulare, auguſtum, & eximium quid proferas ad venerationem. Turpe eſt, ab alijs mendicare, dum in proprijs eloquentiæ campis fodere valens orationis tuæ habere potes nutrimentum. Attolle ſupra cætera vaſa gentium Apoſtolum; & ſupra Apoſtolum facilè emerget illa, quæ una creaturarum excellentiam & comprehendit, & excedit. Quid eſt igitur, quod purpuratus Doctor eum *Scripturarum* vocet *armarium*, indéque apud Paulinum non vulgariter inſigniat? Nunquid etiam reliquos Apoſtolos, univerſi terrarum orbis magiſtros (a) plenos eſſe oportuit divinis Spiritûs Sancti oraculis, & vetus ac novum teſtamentum *in luce Domini illuminare*, (b) ſeu interpretari? Nunquid Philippus magnus, (c) vel potius animorum magnes, & Apoſtolici

(a) *S. Chryſoſ: in Matth. c.* [illegible]
(b) *Idem. hom. in Pſ.* 37.
(c) *Metaphraſtes.*

stolici collegij *Primogenitus*, (a) reconditos habuit sacrorum voluminum sensus, quos & potenti Evnucho reginæ Candacis, & rudibus Samariæ populis exponeret, ac enodaret? (b) Nunquid Petrus & Joannes, ille ad abditissimarum rerum claves, iste ad intimos Ecclesiæ cancellos præpositus, necesse habuerunt Christianorum dogmatum fontes reserare, si sacris undis lavare voluerunt aterrimas infidelium turbas? Quomodo ergo demirabimur Paulum, quasi augustiore titulo supra cæteros evectum, dum ob insignem legis ac Scripturarum intelligentiam, *Vas electionis* meruit appellari? Audite plurium sensa animorum. Gentium Doctor, qui non unius, aut alterius regionis errores confutaturus erat, nec in una, aut altera mundi, diversa credentis, plaga populis & Regibus Christiani nominis mysteria explicaturus, tanto debuit ampliori scriptæ veritatis scientiâ repleri, quanto plus ad complanandas æternæ salutis vias erat deprompturus. Probatis

(a) *Carthusian. apud Anton. de Escobar.*

(b) *Actor. c. 8.*

batis argumentum Auditores? Hæsitandi certè, ac judicij suffragium suspendendi causam vix habetis. Nisi fortè Petri reverentia pectus vestrum adeo occupâsset, ut quia eum Ecclesiæ caput, Apostolorum verticem, commune Spiritûs Sancti oraculum, potestatis divinæ arbitrum, summum in terris Sacerdotem veneramini, sacras quóque diphtheras profundiùs cæteris inspexisse, ac fulgentissima arcanorum lumina exinde hausisse, propugnetis. Sed animadvertere oportet, quid hîc veterum etiam monumenta Patrum, nullo in Ecclesia DEI censorio notata calculo, loquantur posteritati. Origenes, antiquissimus juxta, ac doctissimus author, litteraturam Petri cum Joannis conferens, properârunt, ait, utérque, inspecturi *monumentum Christi*, *seu* (ut explicat) *divinam Scripturam; in qua divinitatis & humanitatis ejus mysteria densitate litterа, veluti quadam petrâ muniuntur; sed Joannes præcucurrit citiùs Petro: acutiùs námque atque velociùs intima divinarum apicum secreta*

(a) *Orig. hom. 2. in div:*

Secreta penetravit. (a) Si Petrum aliquo post se reliquit intervallo Joannes; si Joannem explicandi saltem claritudine vehementiáque superavit Paulus; cur non Paulum & perspicuitate interpretandi, & profunditate intelligendi dicamus inferiorem illâ, quæ ipsius Spiritus Sancti fuit Sponsa, sapientissimâ Dei mente ab æterno ordinata? Non audiar, AA. sed ad severissimũ Marianæ pietatis judicium postuler, si hodie omnium Interpretum Ducem coluero alium, quàm MARIAM.

Frequentare celeberrimam artium scholam, nec tamen ad insigne incrementum proficere; in Sacerrimarum disciplinarum penetralibus ingeniosam ætatem consumere totam, & ad orbis stuporem non erudiri; donari amplissimis scientiarum thesauris, nec ditescere; potari vino, quod ipsa Sapientia proritando suorum discipulorum palato, liquidissimâ dulcedine miscet, copiosé-que propinat, nec ad plenitudinem aut sanctam ebrietatem repleri; vel nau-

nauſeantis, vel deſidioſæ, vel hebetis indolis eſt argumentum. Quare non infrequenter indignor, quòd in publicis ſcientiarum Athenæis videre ſubinde cogar juvenes non paucos, ingenij acie inſtructos, & nobilibus naturæ gratijs donatos adeo langvere, ac torpere, ut, quemadmodum lignum carie, rubigine ferrum, pigrior aqua mephyti, non aliter ipſi, quodam ſtudiorum neglectu corrupti, maturè dicam? an immaturè nimiùm ſordeſcant, & adhuc vivi turpi deſidiæ tumulo ſepeliantur. Singularem tamen etiam voluptatem non rarò ex ijs adoleſcētibꝰ capio; qui frugis optimæ indolem nacti, nobilioris animi ſcintillas, ab Authore naturæ liberaliter immiſſas, & ſuprema humani corporis arce, capite nimirum, recluſas, adeo non extinguunt inertiâ, vel morum pravitate ſuffocant, ut potius aſſiduo in litterarum ſtudia conniſu, & quotidiana librorum tractatione, ex ſcintillis flammas, ex flammis incendia, ex incendijs lumen ampliſſimum ex-

suscitent, quo sibi ad ipsa demum supremæ Sapientiæ adita, quasi splendidissimis facibus præluceant. Habent hoc constanter impensi labores, ut neminem, etiam mediocritate ingenij pollentem, suis destituant fructibus; qui tanto solent esse copiosiores, & præstantiores, quanto ingenium, ingenijque ac litterarum cultura est nobilior. Sed quorsum ista? Ideone MARIA doctissima Scripturarum evadet Interpres, quia studiosi adolescentes solertissimam naturam cum labore conjungentes, studijs assiduè insistunt, librosque attentione sedulâ volvunt, & revolvunt? Omnino evadet. Si enim illorum diligentiæ, ac sedulitati tribuimus, quòd magnos in litteris faciant progressus ad insignem præ alijs eminentiam; cur non dicamus diligentissimam Virginem in evolvendis sacris mysterijs, enodandis quæstionum difficultatibus, illustrandis locorum obscuritatibus, combinandis sententiarum discrepantijs profecisse supra omnes,

quos

quos continuâ Scripturarum lectione, rerumque divinarum commentatione vel penitus æquavit, vel longissimè superavit? Nisi fortè hoc ipsum vobis non satis foret perspicuum, ideóque necesse haberem assentiendi difficultatem aliquâ sive rationis perspicuitate, sive SS. Patrum authoritate dissipare: tunc enim verò Marianorum clientum juratos tentarem amores, disertissimorum provocarem ora, testium implorarem auxilia, sacrarum historiarum fidem obtestarer. Adesset profectò sua ex Hippone Augustinus, tenerámque Virginem, lectioni intentam, denuo animaret: *Recole,* inquiens, *MARIA propheticam lectionem; neque enim te scientia potest divinorum præterire librorum, quæ ipsam plenitudinem paritura es Prophetarum.* (a) Adesset ex eloquentiæ suæ alveari nectare plenus Ambrosius, & publicè profiteretur orbi: nunquam minus solam fuisse visam, quàm cum sola; *Nam quomodo sola, cùm tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ?* (b) Adesset ex

(a) *Serm. 21. de Nat. B.V.*

(b) *Lib. 2. de Virg.*

religiosissimo Carthusiæ asceteriò Dionysius, & MARIAM *in contemplatione divinarum & Deiformium sinceritate speculationum summè fuisse defixam* pronuntiaret. (a) Adesset ex Odæo suo studiosissimus Virginis Cultor Ildephonsus, & perlibenter assereret, eam *à nonâ diei horâ ad primam facem quotidie divinos libros lectitasse: profuisseque plus uni Virgunculæ singularem lectionem ad beatitatem & decus, quàm omnibus Sapientibus omnes bibliothecas.* (b) Adesset è Parnassi sui delicijs Mantuanus Poëta, eidémque non indecorè caneretur MARIA

Assiduis veterum studijs oracula Divûm
Pervigiliq; legens cura Mosemq; piumq;
Esaiam, mæstiuq; virum qui versibus orbem
Plorat.

Adessent denique ex Musæis suis Andreas Cretensis, (c) & Bernardinus Senensis, (d) Origenes (e) & Gerson, (f) Cedrenus & Cassianus, (g) qui desponsam Deo Virginem, Sanctissimo, cum Sponso suo, commercio per sacras, & in altam noctem protractas lectiones, frequentissimè occupatam fuisse

(a) *Lib. 2. de præcon. B. V. c. 12.*
(b) *Apud P. Drexel. de ros: Virt. p. 2. c. 2.*
(c) *Apud eund: ibid.*
(d) *Tom. 4. serm. 13.*
(e) *Hom. 6. in Luc.*
(f) *Tract. 6. in Magnif:*
(g) *Apud citatum P. Drexel:*

fuisse asseverarent. Verùm quia cogitare non audeo, vos in Patronæ vestræ laudatissima vita, in quotidianis functionibus, in transcriptis posteritati facinoribus, & SS. Patrum voluminibus adeo esse peregrinos, ut hæc nesciatis; ideo supervacaneum esse censeo tam gravium virorum ponderare authoritatem, faciléque pronam vestram voluntatem & assensum mihi adpromitto. Cui enim obsecro vel dubitare subveniat, qui legerit illud Virgini nostræ accommodatum oraculum: *MARIA optimam partem elegit;* (a) & doctîssimis (b) ejusdem Interpretibus crediderit, partem illam, esse vitam divinorum contemplatricem, cujus Spiritus, veluti duabus alis, rerum scilicet sacrarum revolutione, ac meditatione, librare se solet in cœlum, & inDeum ipsum quodammodo avolare? Credemus sedulæ Virginis mentem suavissima peregrinatione iter cœlo continuò intendisse, ac præcipua peregrinationis media non assumpsisse? Admittemus tandem

(a) *Luc. c.* 10.
(b) *Apud P. Suarez tom.* 2. *in* 3. *p. Disp.* 19. *sect.* 2.

etiam, in ſcripturis ſacris fuiſſe verſatam, velut inſtitorem in Oceano, piſcatorem in aureo fluvio, meſſorem in agro, apem in floribus, hortulanum in pomario; & hæſitabimus, an ex Oceano gemmas, ex fluvio aurum, ex agro meſſem, ex floribus nectar, ex pomario poma copioſiſſimè præ cæteris collegerit; cùm omnes & naturæ docilitate, & ingenij acumine, & diligentiæ operæque impendio ſuperârit? Ah credite, Auditores, credite, ſanctè gloriari potuiſſe MARIAM, & verè coram quocunque diſcipulo ſuo collectos fructus jactare: *Poma nova, & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi.* (a) *Vetera* nimirum, quæ ex veteris Teſtamenti hortis cultrix avida congregâram; *Nova*, quibus & ipſamet Mater, & Matris Filius, & Filij ſequaces Apoſtoli, vel lacte, vel ſudore, vel ſanguine ſuccum indideramus dulciſſimæ veritatis, & pietatis.

(a) Cantic. c. 7.

Sed in humili nimis ſerpo argumento. A reliquis enim ſecernere velle auguſtam Virginem, ac conſtituere

tuere Interpretum omnium antesignanam, nec tamen, nisi viâ pluribus communi, in hunc eminentiæ apicem elevare, num aliud est, quàm injuriæ umbram extollendæ inspergere, fulgentémque Mariani encomij splendorem obfuscare? Sublimitas profectò Magistræ tantæ sublimiorem exigit arguendi rationem. Non sentio, solùm diurna nocturnáque lectionis pertinaciâ sibi conciliasse, quam suspicimus, interpretandi facilitatem, & excellentiam. Alijs labore venerint pretiosa: Mariæ ultro etiam occurrisse, mihi persuadeo. Alij per eliciti sudoris destillationem, & anhelantis simul præ lassitudine spiritûs calorem, scientiarum foverint viridaria, non sine divite fructuum censu: MARIÆ autumo è prægnantibus divinarum gratiarum nubibus, spontaneâ liberalitate derivatas esse pluvias, & Spiritûs Sancti superincumbentis calore uberrimam illam Scripturarum intelligentiã maturuisse. Ad hoc enim ratiocinium me inducit ingenio men-

téque gravis Augustinus, dum de divinis *condensorum* revelationibus enucleatiùs disputat ex Davide. (a) Si namque alijs *Vox Domini revelabit opacitates divinorum librorum, & umbracula mysteriorum, ubi cum libertate pascantur;* (b) eandem etiam in interioribus MARIÆ auribus ad uberem oblectationem insonuisse, non violenta deduco cõsecutione. Cum præsertim me etiam sic loqui doceat Doctissim9 ac Clarissimus Franciscus Suarezius, qui pro Marianorũ decorũ auctario cum alijs vero-similiter asserit, *infusam illi fuisse per accidens cognitionem rerum naturalium, vel moralium, quæ ad perfectam Scripturarum intelligentiam, ad perfectionem Theologicæ doctrinæ, ad penetranda, explicanda, ac suadenda fidei mysteria; ad consummatam denique prudentiam, & cognitionem rerum agendorum illi fuit expediens, aut necessaria.* (c)

(a) *Ps.* 28.

(b) *S. Aug. enarrat: in Psal.* 28.

(c) *P. Suarez supra citatus sect.* 5.

Ecce infusam sacrorum mysteriorum scientiam prædicat Suarezius; quamvis non ignoret, complures præterea veritates ab ea fuisse cognitas, sive dum Sacerdotibus in Synagogis

gogis Ægypti, Galilææ, & Judææ auscultaret; sive cum prædicantis Filij penderet ab ore; sive cum Simeonis & Annæ audiret oracula; sive cum pastorum, Angelorum, Magorúmque penetraret voces; sive cum *Legendi Studosior* (a) explorandis scripturarum apicibus intellectum suum profundiùs attenderet. Non enim ita effusos nos esse oportet in susceptam panegyrim, ut, quod soli Christo competijsse testatur Doctorum Angelus, (b) Matri quoque attribuamus, quam Epiphanius, (c) Anselmus, (d) Cedrenus, (e) & Joannes Major, (f) discendi studio intentam, ac quàm plurima feliciori mentis indagine assecutam fuisse, contestantur.

(a) *S. Ambros. 2. de Virgin:*

(b) *D. Thom. 3. p. q. 12. ar. 3. & 4.*

(c) *In orat. de laud. B. V.*

(d) *S. Anselm. in fine operum.*

(e) *Cedren. in Compend.*

(f) *In 2. c. Luca.*

Sed quando, amabo, aut ubi docilem, ac sacrarum doctrinarum avidè bibulam Matrem adeò liberali infusu DEUS replevit, aut potavit, ut præ alijs omnibus Interpretibus largiùs immaduerit? An tunc, quando *Botrum Cypri*, Dilectum suum, maternis manibus Virgineo pectori ap-

pressit, & ad sapidissimam dulcedinem compressit? An tunc, quando in crucis cathedram elatus universæ scientiæ Magister, cum ore nequiret amplius docere, mamillam aperuit cordis, & arcanorum inibi latentium rivis Matrem potavit & Discipulum? An tunc, quando post longam, molestámque sitim demum cælestem obtinuit pluviam, & decidentem tanquam in Gedeonis vellus (a) divinissimi roris stillam sitibunda hausit; quo in haustu *tota Divinitatis umbra* (verba sunt D. Chrysologi) *bibulo se nostræ carnis celavit in vellere*? (b) Ita quidem, ubique bene potam fuisse Beatissimam Virginem existimo; abundantissimè tamen sitibundum illius ingenium irrigatum esse tunc, quando Deus incredibili amore saucius teneram suam Sponsam, *Vas electionis* mundissimum, introduxit in ea, quò spectabat, *cellaria sua* (c); sive, ut vult Chaldæus, *in Domum Gymnasij & doctrinæ*, firmissimè mihi persvadeo? Tunc, tunc, teste Ruperto, (d) *in sacra mysteria, quæ Scripturis Sanctis conti-*

(a) *S. Bern. apud nostrum Mendoz. Florid. l. 1. Pervigil. 1.*

(b) *S. Chrysol. apud citatum Mendozam.*

(c) *Cantic. c. 1.*

(d) *Lib. 1. in Cant.*

continentur, avidissimâ mente ingressa est; tunc, teste Dionysio Richelio, (a) *in secreta & abdita Sapientiæ, in mansiones cælestes, in occultissimas, & profundissimas theorias est intromissa, cui utiq; secretiora Sponsus aperuit.* Nec solùm aperuit; sed insuper potavit, atque *in ipsum vinum* (sic loquitur alibi) *totaliter intinxit; quia in abyssum divitiarum ac deliciarum suarum eam prorsus immersit, benedictione implevit, jucunditabibus inebriavit.* (b) O igitur felicem animam Dei Matris! O mentem verè capacem, in quam tam largi, tam dulces, tam singulares sacrarum doctrinarum ac mysteriorum infusi haustus, sine omni gravedine amænissimè confluxerunt! Nempe verum manet: *Vas electionis*, vas amplum, vas omnium pretiosissimum fuisse MARIAM, ex quo, adeo copiosè repleto, divinæ Sapientiæ dogmata, in alia electionis vasa, in Petrum & Joannem, Jacobum & Andream, Philippum & Thomam, aliósque Apostolos ac Prædicatores transfundi potuerint; & verò etiam ad irrigandas

(a) *In Cant. ar: 5.*

(b) *In Cant. ar: 8.*

das infidelium mentes aridas, in plerósque sunt transfusa. Suspicor quidem dilectum illum discipulum Joannem, haustus fecisse largiores, & maximè in sui bibisse sanitatem, quando in nunquam audita, nullisque sæculis visa convivatione ad ipsum rerum abditarum fontem, Cor DEI, est admissus; quid enim celaret Homo-Deus, postquam propinato in sui amorem calice, & amanter prostituto *Corpore* ac *Sangvine* ad hilaritatem incaluit? Credo etiam liberalissimè irroratos fuisse Apostolos, quando factus est repente de cælo sonus, & largiore profusa nimbo Dei Sapientia in congregatos tunc impluit; quo enim fundamento pinguis Minervæ homines, & ridentes Democriti effutiissent illud; *Musto pleni sunt isti*? (a) Existimo prætereà gentium Doctorem Paulum intimâ subtilium secretorum dulcedine fuisse repletum, postquam ad Damascenæ urbis mænia postratus in vas electionis abijt; unde enim aliàs limpidissimos illos de Fide, Religione,

(a) Actor. c. 2.

ne, Gratia, Prædestinatione, Redemptione, alijsque mysterijs propinâsset haustus, nisi ex ipsis fontibus Salvatoris? Nihilominus tamen fortissima teneor persvasione, si hos siverimus venire in comparationem Mariæ, nos cum mari flumina, cum flumine rivos, cum rivo fontes, cum fonte guttas collaturos; cùm cæteri velut minora vasa de plenitudine illius solùm acceperint aliquid, Maria autem, *Vas electionis* capacissimum, ipsam plenitudinem tunc complexa sit, quando se DEUS totum in eam infudit.

Néque deflectunt ab hac sententia, mecum Marianâ gradientes orbitâ, sanctissimi Oratores. Eorum enim alius dictatorio pro Dei-parente decernit calculo, *Eam non potuisse stientiam divinorum præterire librorum*: (a) præfidentiùs edicit alius, *Virginem Mariam melius scivisse sacra biblia, quàm Prophetas*: (b) illustriùs adstipulatur alius, *plenissimè doctam esse ab infantia in lege Domini, & Prophetis, & Psalmis de Christo scriptis*: (c) in titulos effusus alius eam

(a) *S. Aug. ser. 9. de tempore.*
(b) *S. Vin: Fer: serm. in Nat: D.*
(c) *Gerson Tract 1. super Magnif:*

eam vocat *Portam cæli; quia per eam alta & sacra cæli, & Scripturarum, ac Sacramentorum mysteria reserantur:*(a)facundius testatur alius, *illam calluisse optimè Scripturarum Sacramenta recondita, & abstrusos ipsarum nodos scientiæ clavi reseráſſe; præmicantia Synai fulgura; evibrata fulmina; fulminantes procellas mente cognovisse; & quomodo Erythræum mare se se Israelitis panderet, Ægyptióſque undis submergeret; aliáque similia Scripturarum oracula dispexisse.* (b) Denique plena sunt hac veritate pientissimorum Authorum volumina, è quibus illam litterarum Sanctarum & *Secretarium*, (c) & *Sigillum*, (d) & *inspiratæ veritatem Scripturæ*, (e) & *elegantissimum volumen*,(f) & *divinæ legis Magistram*(g)eruditis affectibus evolvere possumus, & debemus. Vt nefas sit, dubitare, nos, quod initio intendimus probare, demum evicisse Scripturarum peritissimam, difficultatum ac dubiorum arbitram, sacrarum litterarum Interpretem, uno verbo, *Vas electionis* MARIAM.

(a) *S. Bern. Senen. tom. 4. ser. 13. a. 1.*
(b) *S. Greg. Naz. relatus à F. Ximene l. 2. c. 23.*
(c) *B. Ruper. l. 3. in Cant.*
(d) *S. Germ. ser. de Nat. Domini.*
(e) *Idem ibidem.*
(f) *Leo Imp. hom. 6.*
(g) *Rup. Abb. l. 1. in Cant.*

Agite ergo, Auditores; Si doctrinarum sititis fluenta, si limpidissimæ

ſimæ veritatis anhelatis aquas, ſi potentiſſima Spiritus divini deſideratis vina, ſi dulciſſimæ pietatis ambitis liquores; accurrite, guſtate, bibite haurite. Ex hoc vaſe profluet canali non parco, quidquid neceſſarium ad ſolidas doctrinas, quidquid pulchrum ad rariſſimas eruditiones, quidquid dulce ad tenerrimam pietatem, quidquid vehemens ad ſpirituale robur animarum, quidquid ſincerum, illime, ac limpidum ad diſpiciendam omnem veritatem. Ex hoc vaſe doctrinæ ſemper manabunt, & nunquam exhaurientur; haurientur ſemper, & ſemper exundabunt. Ex hoc vaſe replebuntur non tantùm minora, id eſt, diſcipuli; ſed inſuper vaſa majora, ſive ſacrorum codicum Profeſſores; *bibétque unuſquiſque ſecundùm ſuam ætatem*; (a) quia qui omnia (etiam ſcientias) nos habere voluit per Mariam, per eandam *juxta menſuram vaſculorum infundet liquores: tantum muneris largiens, quantum poteſt ille, cui donatur accipere*. (b) Adeſte igitur divinorum oraculorum Præſtites, ac arbi-

(a) *Daniel. c. 2.*

(b) *S. Hier. in c. 4. ad Eph.*

arbitri, & quod S. Augustinus dixit ad Filium, fontem vivum, vos dicite ad baiulam fontis Matrem: *Fons vitæ tu es Domina; ad te levavi animam meam, non contra te, tamquam vas attuli eam, imple ergo me.* (a) Anhelate cum Magno Gregorio ad profluvium illius fontis, quam ipsa posteritati sic signavit: *Fons occultus est Vnigenitus Patris, invisibilis DEUS, fons verè patens est idem Deus Incarnatus.* (b) Clamate cum B. Sophronio: *Agnoscimus te Domina pro fonte vitæ æternæ; nostras proinde animas de abundantia tua adeo divites redde, ut salutaribus fluentis manare non desinant.* (c) Desiderate cum D. Ambrosio (d) aquas de fontibus Salvatoris; appetite cum Magistro Hieronymo (e) de fonte aquæ, salientis in vitam æternam; sitite cum Nazianzeno (f) quem S. Basilius etiam *Vas electionis* (g) nuncupat, de scaturigine fontis ejusdem; & spondeo futurum, ut in sensu litterali periti cum Hieronymo, in allegorico subtiles cum Ambrosio, in anagogico sublimes cum Augustino, in morali suaves cum Gre-

(a) *S. Aug. in Ps. 142.*

(b) *S. Greg. hom. 20. in Ezech.*

(c) *Apud Io: Nadasi in ann: Mar: anno 1636.*

(d) *S. Amb: in serm: Isa. c. 12.*

(e) *Supra citato.*

(f) *Orat: in S. Baptisma.*

(g) *Cat: Script. Ecc.*

Gregorio, in omni demum explicandi methodo faciles cum alijs Patribus ac Interpretibus feliciſſimè evadatis. Vos verò teſtor, atteſtorque diſcipuli, quicunque velut cervi ad ſcientiarum fontes anheli ſuſpiratis, ſitimque veſtram deſideriorum æſtu magis ac magis accenditis, attendite, ac providete, nè vel ad lymphas lymphaticas incauti abripiamini; vel ad ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas, errabundi deflectatis, pro aquis ſordes, pro melle fella, pro vita mortem bibituri. Invenientur, non dubito, complures magiſtri prurientes auribus, qui biblicos ſales hinc inde ſpargent largiùs, & ex cæleſtium arcanorum tripode vobis loqui videbuntur facundiùs: dabuntur etiam non pauci, qui nobiliores de æternæ Sapientiæ fontibus propinabunt hauſtus; eorum tamen vobis & converſatio, & magiſterium ſemper ſuſpecta ſint, quibus *Vas electionis* MARIA non ſapit. Dixi.

 PRÆ-

PRÆCONIUM.

S*Apientia ſapientis tanquam inundatio*, (græcè: Diluvium) *abundabit ; & conſilium illius ſicut fons vitæ* (Syrus : *ſicut aquæ vivæ*) *permanet*. Eccleſ. c. 21. v. 16.

ORATIO XIV.

MARIA, vera Chriſtianorum Minerva, ideòque cæterarum honeſtiſſimarum

Magiſtra Artium.

QUo demum verget oratio, Auditores? ſingularumne ſeriem artium, quæ ſub aliquam ſcientiæ rationem cadere poſſunt, ſingulis contexam conatibus? Ita quidem, ſat amplus foret adhuc dicendi campus, in quo non ſine rerum, verborúmque copia expatiari, ac ſagaci loco-

locorum indagine plures Marianæ laudis titulos investigare liceret: verùm existimo, evagari gestientem animum hîc comprimi oportere, tum quòd nefas sit excursu vagæ facundiæ benevolentiâ Auditorum abuti; tum quòd consectaneâ probabilitate ista ex prioribus inferri, & in claram cujúsque intellectûs lucem exponi queant; tum denique quòd unius orationis nisu, siquid dicendum superest, dici possit & expediri. Dabis proinde veniam, O pulcherrima gratiarum Mater, & liberalissime fons veniæ Maria! si quod feci oratione tertiâ, octavâ, & nonâ, paucis denuo multa complectar, & decorum tuorum varietatem uno potius argumento, quàm verboso solutæ lingvæ confirmem ornamento. Dabitis & vos veniam, Auditores humanissimi, si ad confundendam gentilium falsitatem fabulosæ mulieris nomine Dei-Matrem subinde compellem, quod quidem nonnulli severitate judicij castigant, putantes, in nomine indecoram rerum simili-

 tudinem

tudinem utrinque prædicari; ego tamen non nescius, nostra mortalium nomina, probis æquè ac improbis frequenter esse comunia, nec ideo probrum probis affigi; arbitror tantùm abesse, ut aliqua parthenij nominis splendori obducatur caligo, ut potius ex caligine, obscurisque ingenij humani commentis illustrissimi quidam radij eidem accedant. Non est animus, â fabulis dictioni vel hilum roboris accersere; non titillor eruditionis profanæ dulcedine, quâ nonnunquam abrepti aliqui conferunt cum Orpheo aut Perseo *Christum*, cum Thucidide *Petrum*, cum Attico *Paulum*, cum Apollonio *Lucam*, cum Helena vel Danaë *Mariam*. Non ita insanio, ut delyrijs Sapientiam, profanis sacra, ludicra serijs, nugis solida confundam; hoc unum stat fixum mente, Poëtarum de sua Minerva mendacium convellere, indéque quasi ex confracta concha gemmam, ex disjecto scorio aurum, ex propulsis tenebris veritatis lucem protrahere, ut eâ tandem discussâ in

pro-

profundæ oblivionis tumulum detrudatur falsitas, & una eáq; verissima, doctissima, sanctissima Minerva, hoc est; omnium honestissimarum scientiarum Magistra proferatur MARIA.

Quod dum facio, vos obsecro, atque oro, Auditores; ut quas hactenus expertus sum benefaventium animorum auras, ijsdem conatui meo aspirare non cessetis, donec panegyres has sua coronide; benevolentiam verò vestram aliquo gratitudinis affectu coronem.

Multa sunt, eáque stultissima, quæ gentilis mentiendi libido, de nescio, qua Minerva, vel Pallade, mentia est posteritati. Illud in primis palmare ac impudens figmentum est: parturijsse aliquando gravidum, & prægnans (delyrijs suspicor) Jovis cerebrum; & pro Lucinæ vel aliarum obstetricum auxiliari manu prævalidam Vulcani securim accitam fuisse, quâ in duas divisum partes caput demum protruderet hanc ægide, cassíde, ac hastili armatam mulierculam.

Et ita factum esse, creditúmque â compluribus, commemorant Stesichorus, Apollonius, Virgilius, Ovidius, alijque similis farinæ homines. Sed O ridendam insaniam! O infamem in pleno rationis lumine cæcitatem! O detestabilem, atque ex omnium memoria eliminandam impietatem! Quorsum obsecro tam inhumanæ, tam monstrosæ, tam ludicræ commentationes, & figmenta? Fortè, ut quemadmodum per nubila Phæbus, ita per fabulas veritas gratiosiùs illucesceret, & insolita unius mulieris sapientia exaggeraretur? Sed non aliter vobis veracibus esse licuit, nisi sic mentiremini? Non aliter in assensum trahi poterant auditores vestri, nisi sic illis imponeretis? Apage gentilium stoliditas; in sanctissimo Christianæ Sapientiæ Religionisque regno non sic desipitur. Minervam habemus; sed quam ideo suspensis quodammodo sensibus stupescimus, quia hæc sola origine suâ pulcherrima & immaculata est: cujus sanctissimos parentes Joachim

&

& Annam ideo ſupplices invocamus, quoniam amici & conſanguinei Dei-Hominis ſunt : cujus pulchritudinem Sol & Luna ideo mirantur, quia non fabuloſus aliquis Phidias, ſed Omnipotens rerum Conditor DEUS, eximiâ præſtantiſſimæ manûs ſuæ gloriâ eam ita exornavit, ut plus quàm cæteris hominum ſimulachris de majeſtatis fulgore tribueret, adeóque abundantem omnium ſcientiarum ſupellectilem communicaret. Et tamen necdum ullâ titillatione tangor, ut è capite Altiſſimi, aut è cerebro æterni Patris MARIAM prodijſſe aſſeram, quamvis non una ſic ludendi ſuppetat congruentia, nec deſit authoritas hunc loquendi modum aliquo modo corroborandi. Teſtor enim te clariſſimum ſæculi tui lumen Gregori Nyſſene, nunquid ex mente Dei progenitam dicere poſſem, cùm eam *Filiam ſingularium Dei cogitationum* compelles? Nunquid congruente ratiocinio inferendum foret, in Patris corde conceptam eſſe, cùm â Veritatis Magiſtro pridem
 didi-

didicerimus, ex corde aſcendere cogitationes? Nunquid eidem in lucem editæ applaudere, gratularique oporteret natalem beatiſſimum, ſiquidem *ex ore Altiſſimi* prodivit? Ita quidem; pulchra & longiori excurſui opportuna hæc eſſet materia, niſi vererer radere priſcorum viam, quæ in manifeſta multiplicium cenſurarum pericula deducit. Quid enim opus eſt, per commentationum umbras incedere, cùm in non dubia rationis luce ad finem unicè intentum progredi concedatur? Si perſpicacitatem ingenij, ſi maturum conſilij acumen, ſi vim, & indolem animi, ſi ſcientiarum varietatem extollere volumus in MARIA, quid eſt neceſſe Numini cor, aut cerebrum affingere, ut eam inde quaſi ex carcere protrahamus? Hoc profectò mentiri eſt magnitudinem, non metiri; hoc obſcurare eſt, non illuſtrare, minuere non augere honores illius, quoniam ad veræ rationis trutinam non ponderamus. Age igitur, O pulcherrima Mater! dic (parce interrogantis auda-

audaciæ) dic, obsecro, amantissimo tui Dionysio Richelio (a) quo fundamento gloriari poteras cum Sapiente: (b) Puella eram ingeniosa, & sortita animam bonam, sive Sapientiæ natam ac congenitam? Dic nobis, dic mundo universo, cur Bernardus filius tuus in te Matre sua vel honoraverit, vel te salutaverit *scientiam scientiarum?* (c) Non expecto responsum, O Domina, quia servus, quia mancipium sum; causam tamen non difficulter assequi videor, quia nimirum ex te tuisq; sacratissimis visceribus, non tu ex illo, nasciturus erat Filius Dei. Decuit autem, ut quemadmodum Sanctus Sanctorum sanctissimam, ita Sapientia Patris sapientissimam, omnibúsque disciplinis instructissimam haberet Matrem; (d) de qua fortasse pridem vel vatum antesignanus Isaias: (e) *Videbit*, sive, ut habet Hebræus, *sciet*, *cognoscet*, & *saturabitur* copiosis rerum cognitionibus; vel regiæ nobilitatis propheta David: (f) *Anima mea cognoscit nimis. Nimis*, quia supra veteris Testamenti

(a) *Lib. 2. de præcon. B. V. c. 7.*
(b) *Sap. c. 8.*
(c) *S. Bern. in Salve.*
(d) *Ex Richelio ibidem.*
(e) *c. 53. v. 11.*
(f) *Ps. 138.*

Angelicus rerum divinarum notitiâ: in MARIA autem & Svadæ argentum est, & Philosophiæ aurum, & Medicinæ flores, & Jurisprudentiæ purpura, & Theologiæ uniones, reliquarumque ornamenta scientiarum. Et de his quidem, si non ad gustum, certè ad satietatem aurium hucusque: de nonnullis residuis, quoniam non exiguum faciunt vestimento decorem, qui venustate suâ facundus opificis manûs loquitur nobilitatem, proditque non esse rudis Minervæ opus, optatâ dicam brevitate.

In exilium proinde iterum commenta, & fabulæ; veritati hìc locus sit, & triumphus. Apage Theocrite cum poëtarum ducibus Ovidio (a) & Virgilio, (b) qui quàm svaviter, tam fallaciter olim cecinerunt, commentitiam illam cerebrosi Jovis filiam, ob peritiam tractandi colum, texendi telas, connectendi vestes, ducendi fila, pingendi acu, fuisse artis hujus Deam & præsidem: elogium istud Sanctissimæ Christianorum debetur

(a) *Lib. 3. Fast.*
(b) *Lib. 7.*

pientiæ Matrem, summo Architecto constanter attentam discipulam, itaque confitentem : *Quando præparabat cœlos aderam ; quando certa lege & gyro vallabat abyssos ; quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum ; quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, nè transirent fines suos ; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* (a) Quid autem vel ad artis regulam concinnius, vel ad splendorem illustrius, vel ad stuporem mirabilius illâ cælitum domo, & magnificentissimo divinæ majestatis palatio? quid solidius ac jucundius hâc amplissimæ terræ machinâ ; â marmore, alijsque pretiosis lapidibus rigidâ, auri argentique divite, montibus excelsa, fontibus irrigua, figurarum, formarúmque varietatibus exornata?

(a) Prov. c. 8.

Obmutescant, necesse est, etiam Mithologi, qui aliam armorum præsidem, aliam victoriarum dispensatricem, aliam belli pacisque moderatricem, ore, vel calamo divulgant, quàm Viraginem Nazaræam, cujus virtute

virtute post Deum maximâ niti possumus, confundi non possumus. Hæc enim verò *Mulier* illa *fortis* est, inter sæcula â Salomone quæsita, & â nobis tandem reperta: hæc illa heroina, in qua sola urbium muniendarum præcepta clarissimè relucent, quia *ædificata est cum propugnaculis*; (a) hæc illa refertissima Domus armorum, ex qua sola contra quoscunque sive aspectabiles, sive occultos hostes hostiúmque insultus *omnis armatura fortium*; (b) hæc illa præliatrix, qua sola præeunte, feliciter confligere possumus, quia in *uno crine colli sui*, aut *in uno oculorum* suorum mille facit vulnera; hæc illa gloriosa triumphatrix per quam solam, certam de hostibus, præsertim turcis, victoriam dabit Deus, cùm plerumque sit *luna sub pedibus ejus*; hæc illa procuratrix & prædatrix, quæ sola sufficientem militibus ministrabit commeatum, *quia facta est quasi navis institoris de longè portans panem, deditque prædam domesticis suis*; (c) hæc illa militiæ Magistra (d) â qua sola condisci potest

(a) *Cant. c. 4.*

(b) *Ibidem.*

(c) *Prov. 31.*

(d) *Apocal. c. 12.*

aciei

aciei perfecta instructio, cùm sit *terribilis, ut castrorum acies ordinata*, sive, ut vult Oleaster, (a) acies *rotunditate vertibilis*, & ad quodvis ducis signum ex quadrata in orbicularem, ex cuneo in rhombum, ex recta in obliquam commeans, exhibensque declinationes, conversiones, revolutiones, circumflexiones, aliasque exercitûs totius motiones, militibus notissimas.

(a) *Oleaster in c. 1. & 2. Num.*

Denique sileant aliquando fabularum nundinatores, qui vel ab arte pingendi, & saltandi; vel â rerum nauticarum, agrestium, & oeconomicarum scientia infamem illam fæminam religione superstitiosa effeerunt: longè altius extulit Mariam Deus, quando amplissimum ejus intellectum nobilissimis non harum tantùm, sed aliarum etiam honestissimarum præceptis instituit; quæ universa discipulis suis facillima saltem methodo exponere potuit, si ob rationum momenta non placuit in praxim derivare. Vt non dubitem, quin præstantissimos quósque Apelles, Parrhasios, & Rubenios docere valuerit,

luerit, aut etiam monumenta eorum corrigere, si fortè vel partium distributio, & symetria in aliquo defecisset; vel non satis temperati colores, non æqualiter recedentes umbræ, non nitidæ luminũ eminentiæ solertiam artificũ non prodidissent. Quid enim? nihilne Virgo didicisset ab eo, qui aquarum fluctus, ignium flammas, aëris aves, nubium globos, terræ recessus, hortorum flores, pratorum gramina, arborum ramos, ramorum folia tam variè coloravit? Non edocta fuisset Mater â pictore Filio, qui virilem suam faciem, vel potius dolorum imaginem, non tam in linteo, quàm in anima occurrentis sibi Veronicæ tam appositè efformavit? Nullo exercitij lucro laborâsset sedula operatrix, quæ ad nitorem acu pinxisse scribitur; quæque se ipsam ad vivum expressit toties, quoties in collo nives, in labijs purpuram, in genis rosas, in fronte pudicæ amænitatis theatrum efformavit? Profectò non facilè in adversæ sententiæ placita concedam, nisi tra-
ctus

ctus ab iis, quorum authoritas majus pondus habet, quàm habeant viri in excellentiam Deiparæ magnificentissimè conspirantes.

Vnde néque illud nisi persvasus credam, in arte saltandi penitus extitisse rudem, nec excutere potuisse honestè saltantium regulas; aut etiam pudicâ corporis agilitate nequijsse choros ducere virginum castissimarum. Gloriosam fuisse Davidis saltationem coram arca Domini, ait Ambrosius, (a) quia *totum decet, quidquid defertur Religioni* (b); néque indecorum ducunt amplissima Hispaniæ Indiæque regna, si utriúsque sexûs adolescentes ante Augustum Evcharistiæ ferculum modestos choros & choreas agant: (c) quis proinde temeritatis nos arguat, si vel piè sentiamus, vel modestè dicamus DEI Sponsam gratiosè saltare potuisse, atque etiam piè modestéque saltaturam fuisse, si hoc honoris & religionis obsequium ab ea expetijsset divinus Sponsus, qui saltu, & saltantium capreolis, seu tremulis, mirè

(a) *S. Ambros. l.4. ep. 30. ad Sabin.*
(b) *Idem lib. 2. de pœnit. c. 6. tom. 3.*
(c) *Cornel. à Lapide in lib. 2. reg. c. 6.*

rè delectatus ad eam *venit saliens in montibus, transiliens colles, similis capreæ, hinnulóque cervorum.* (a)

(a) *Cant. c. 2.*

Sed de arte navigandi aliquid pronuntiandum est, Auditores. Principem enim locum etiam hîc obtinuisse illam toties decantatam Minervam, nonnullorum commentum est. Argonautas quóque omnium primos, seu navalis peritiæ principes audijsse, somniant poëtæ, & scribunt tum Græci tum Latini. (b) Navigantium præterea præsides designatos esse geminos, in poëtarum cælum relatos, Castorem & Pollucem, armigeros per mare Tritones, & compositum ad tranquillitatem Neptunum, superstitiosa tradit antiquitas. Quid igitur dicemus de Virgine, cujus Filio etiam venti & mare obediunt? Eamne pulcherrimâ rei nauticæ intelligentiâ destitutam arbitrabimur, quam scientijs alijs â Deo abundanter imbutam hactenus asseruimus? O quàm vereor, nè, dum audacis eloquentiæ vitium refugimus, ingratæ taciturnitatis probrum incurramus!

(b) *Apud Mendoz. Virid. l. 5. probl. 30.*

mus! O quàm metuo, ne indictum ab inani timore silentium veritatem non tantum absorbeat; sed Marianæ insuper detrahat dignitati ac majestati! Nemo siquidem facundus nimium est, qui rerum & magnitudinem & amplitudinem nequit satis explicare. Quæ creaturas excellentijs excedit, ipsâ humanæ facundiæ excellentiâ est superior. Cui autem SS. Patrum oracula toties vulgata tam peregrina sunt, ut nesciat, Deum creturarum excellentias in Matrem suam, velut in epitomen redegisse? Denique credendum est, â ratione absonum nihil, â veritate alienum nihil dici, dum navigandi scientiam commendamus in MARIA. Extollimus Naucleros, laudamus Palynuros, quòd captatis ventorum flatibus, observatis siderum nutibus, projectis opportunè anchoris, dextrè declinatis syrtibus, elusis informibus balænarum monstris, subactis oceani fluctibus, emensis undarum spatijs, omnibus demum superatis periculis naves suas in destinatos

portus feliciter intulerint; & quis improbet, quod horum laudibus velificemur? Nemo. Nemo? Néque ego proinde illorum affectum improbabo, qui Deiparentem etiam hic Magistram agnoscunt, eamque peritissimam, nullique secundam classium directricem recolunt; cùm se talem exhibuerit sæpius non in magnis solùm, sed & in maximis tempestatibus, quando nimirum miserandis naufragijs, ipsisque pelagi faucibus subduxit periclitantes. Et hinc promanâsse suspicor illa tam apta, quàm diversa encomia, quibus robustissimi Magnæ Matris præcones laudabiliter concertantes eam aliquando compellârunt *Magistram maris;* (a) *Portum navigantium;* (b) *Stabilem anchoram ijs, qui tempestate jactantur;* (c) *Navem, nullo egentem gubernatore;* (d) *Maris Dominam, quæ mirabiles elationes maris solo nutu compescit;* (e) *Protectricem servorum suorum in aquis, juxta illud Isaiæ: cum pertransieris per aquas, tecum ero* (f) peritissima gubernatrix: quos titulos viri tanti vix contulissent, nisi raram

(a) *S. Idiota lib. de contempl. Vir. c. 5.*
(b) *Hym. gr. de B. V. apud But. 127.*
(c) *Buteo in Florilegio.*
(d) *Hesychius ser. 2. de B. V.*
(e) *B. Amadeus hom. 8. de Laud. B. V.*
(f) *Richard: á S. Laur. l. 2. de Laud. B. V.*

ram maris traijciendi artem in Maria, etiam vivente, dispexissent.

De terræ cultura quid dicam? adeone rusticam putabimus, ut serenissimam cæli terræqne Reginam non decuerit? Mirarer certè humanas mentes in tam notabilem ignorantiæ errorem prolapsas, cùm plerúmque constet, summos è nobilitate viros non semel rusticatos esse; & gentium reginam Romam re ipsa docuisse, dignam esse homine libero agriculturam; imò ipsum Deum Patrem prædicari voluisse â Filio: *Pater meus agricola est.* (a) Si igitur Israëliticæ stirpis patriarchæ Abraham, Isaac, Jacob, & Joseph; si Scipiones Africani, & Domitiani Cæsares inter ingenua mortalitatis oblectamenta non postremam habuerunt hanc curam, & culturam; si urbs, orbis epitome, ac magnorum decorum augusta nutrix hoc inter reliqua complexa est, quòd hortorum, agrorúmque colendorum scientiâ comprimis floreret; si Deus ipse, nostram indutus carnem, in campestri-

(a) *Ioane c. 15.*

bus Bethleemiticæ fertilitatis nasci voluit, & â triumphata morte redivivus, in subagresti hortulani forma terræ cultor haberi: quidni decorum fuerit Matri, scire, quod gravissimis viris, atque adeo ipsi DEO Filio pulchrum fuit usurpare? Hebetudinis, vel animi non tenerè affecti argumentum sit, ambigere, num â *Patre agricola* hauserit agrorum scientiam; â *Filio hortulano* perceperit hortensis studij præcepta; â *conducente* in vineam operarios didicerit vites plantare ac excolere; â *Patrefamilias* edocta fuerit *Ancilla* perfectas oeconomiæ rationes, proindéque de hac sedula, prudente, ac forti muliere prædicari potuerit illud: *Consideravit agrum, & emit eum; de fructu manuum suarũ plantavit vineam,* (a) non solùm virorem, florem & odorem sed insuper benedictum, atque ab ipso Sole justitiæ excoctum proferens fructum, *Botrum* nimirum *Cypri Dilectum ejus in vineis Engaddi.* (b) O verè insignem Matrem familias, & per universas Salomonicæ illius oeconomæ dotes tam

(a) Prov. c. 31.

(b) Cant. c. 1. v. 13.

tam similem, ut ab ea velut â protasi, perfectissimam elogiorum apodosim ducere possimus! Enim verò si â Dei-Hominis nutritio Ioseph, vel ab ipso Christo, virorum Viro, quem ipsa circumdedit, conceptam de hac Muliere fiduciam exaggeremus; hîc si unquam verissimum erit illud: *Confidit in ea cor viri sui.* Si reverenti mentis oculo penitiùs introspiciamus virginem, viróque majorem ejus animum, videbimus *factam esse, quasi navim institoris*, juxta illud Poëtæ:

- - Animus ratis est, quam ventus & undæ
Quà lubet, impellunt:

siquidem ferendis ærumnarum dolorúmque procellis non minus assveta, quàm excipiendis divinæ voluntatis Favonijs aptissima semper extitit. Si familiaris rei accurationem, si diurnarum actionum assiduitatem, si super domesticos vigilantiam, si rerum necessariarum providentiam, & constantem tribuendæ mercedis promptitudinem inquirimus; deprehendemus omnino, illam diligentiùs considerâsse semitas domus suæ;

 ar-

arcendo frigori suos vestijsse duplicibus; non otiosam comedisse panem, nec stertuisse in multam lucem, verùm de nocte surrexisse, didisséque prædam domesticis, & cibaria ancillis suis; nihil denique omisisse, quo vigilantissima comprobari posset Oeconoma, qualem agnoverat Filius, quando eam familiæ, seu Ecclesiæ præstituit universæ. Unde denuo memoriam subit partim acerbitas, partim dulcitudo temporum evolutorum. Si namque mente solicita disquiram, quandonam pro Patre suffecta videatur universorum Mater; punget in primis triste momentum, quo in ferali Calvariæ monte stanti sub infame furca Discipulo dixit expirans agonotheta: *Ecce Mater tua;* & identidem animum delectabit illius pompa diei, quo in baiulæ nubis candore ascensurus cælorum capitolia victor; terrisque, ac singulariter Matri, valedicturus, ultimam ab ore nectareo ambrosiam destillavit. Tunc enim: *Averte á me,* inquiebat, *oculos tuos, quia ipsi me avolare fecerunt;*

runt; (a) *averte á me* (repetit cum eo Guilielmus) *ad fratres & filios meos*: *á me*; *quia assumptus ad Patrem a Matre non debeo amplius teneré diligi*; *in meos autem converte, quòd oportet, me ab illis assumpto, maternæ tuæ pietatis teneritudine confoveri.* (b) Ecce verba, mellito plenissima succo, nec æterno dissona Verbo, quibus non tantùm Materfamilias declarabatur MARIA; sed ejus insuper affectus tenerrimus, nullique secundus palàm pronuntiabatur, ad melleam quandam suavitatem pectoribus nostris ingerendam, & reciprocam filialis observantiæ promptitudinem provocandam. O felicem proinde Ecclesiæ militantis conditionem, quia suscepto in cœlum tenerrimorum viscerum Patre, tam benignam familias accepit Matrem! O incredibilem beatitudinem illorum, quibus contigit ab hac Matre, adhuc in terris solicitâ, tanta regi affectûs suavitate, tam dulcibus oculorum flecti nutibus, tam prudenti curarum diligentiâ, maternique cordis officio confoveri! Non pruden-

(a) *Cantic. c. 6.*

(b) *Apud Delrio & Did: Barzam tomi 1. l. 5. c. 7.*

tissima priscarum matrum aliqua, non genitrices simul omnes ab œconomicæ industriæ prærogativis ita divulgari possunt, quemadmodum hæc *Mater amabilis*, & gratiarum dispensatrix MARIA. Non generis humani propagatrix Eva, non officiosa peregrinorum mater Sara, non Ægyptiaci Dispensatoris genitrix Rachel, non principum filiorum educatrix Rebecca, non aliæ quæcunque seu regnum, seu gentium altrices fæminæ perfectioris oeconomæ titulos sibi vendicare poterant, ut quibus omnibus condecorari debet MARIA, quæ tum temporalis tum æternæ Vitæ panem providit, & hæreditatem nobis dispofuit regnis mundi superiorem.

Agnoscimus te talem O MARIA! & pronissima devotione ad scabellum pedum tuorum provoluti fatemur cum S. Germano, (a) *te maximam post Filium tuum gessisse curam humani generis*; cum devotissimo Guilielmo, (b) *neminem pari solicitudine sibi & aliis invigilásse*; cum Seraphico Bonaventura,

(a) *S. Germ. Conft: de Zona Virg.*

(b) *In 3. Cantic:*

tura,(a) *magnam fuisse erga miseros misericordiam tuam, etiam adhuc in mundo exulantis;* cum S. Epiphanio, (b) *te omnia observare, ac intueri, & inspectionem tuam ad omnes se extendere;* cum alijs denique tuis panegyristis, te esse ac semper fuisse *Multoculam*, Matrem providam, *Dei Thesaurariam*, (c) uno verbo, numeris omnibus absolutam *Oeconomam*.

(a) *In spec: c. 8.*

(b) *Serm. 2. de assum: B. V.*

(c) *Raym. Iordan: in Prologo.*

Apud te proinde & ego tantisper sisto eloquentiæ, seu verborum meorum supellectilem; non quidem judicio tuo ponderandam, quia levis nimium, & exilis est; sed affectu tenerrimi cordis tui sustentandam, eo siquidem conditur optimè, quidquid judicio dissipit, & excusatur benignè, quidquid censorio calculo notari potest. Honestissimarum artium, & scientiarum Universitatem hucusque te celebravi; & ut compendiaria quadam ratione dicerem multa, divinæ mentis filiam, hoc est, Minervam compellare præsumpsi. Si conatu tibi non placui, mihi satis erit, affectu non displicuisse. Tuarum

ex-

excellentiarum dignitas, adeo ſublimis, fecit, quòd illam dicendo aſſequi non potuerim. Magnificè tamen & ampliſſimè prædicari te putavi, quando quod proferebam, tuæ impar erat commendationi. Quæ dixi, vel SS. Patrum fultus authoritate, vel præconum tuorum inſtructus facundiâ, vel rationis directus lumine, vel filialis obſervantiæ ac pietatis impulſus officio dixi omnia. Nec huic panegyri robur ultimum aliunde adſciſcere cogito, quàm ex docta illorum penu, qui cantandis elogijs tuis velut Cygni immortui ſunt, nè communicatæ tibi excellentiæ in animis poſterorum emorerentur.

Audite proinde, quotquot hîc eſtis ad audiendum convenæ, ad credendum ſervuli, ad diſcendum condiſcipuli mei; audite, quâ vocis contentione, quo cordis affectu, quo attonitæ mentis ſtupore, Religioſiſſimus Pelbartus, cum S. Ignatio Martyre abreptus exclamet: *O verè Monſtrum cœleſte! O admirabilis ejus dignitas, & Sci-*

entiæ

entiæ excellentia! (a) Audiviſtis? Non dubito. Sed, amabo, unde tam inſolitæ admirationis magnitudo, tam liquidæ veritatis oraculum? Dicam. Legerat in Sacris paginis conſignata Mariæ decora, quæ Sponſus, opifex Sponſæ, tenero ſimul ac canoro affectu olim decantâret; & quoniam inter cætera etiam colli venuſtatem Turri David, ex qua mille clypei pendere viſi ſunt, aſſimilatam deprehenderat, in arcanam ſimilitudinis hujus veritatem inquirens, non eas tantùm, quæ in privatis Lycæis, aut publicis orbis Vniverſitatibus docentur; ſed mille omnino ſcientias, imò omnem armaturam Doctorum fortium in ea invenit: hinc revocatis velut â ſtupore ſenſibus varietatem illarum tantâ cordis orisque vehementiâ efferebat. Richardus porro â S. Laurentio, vir ſanctitate non minor, quàm ſapientiâ, cum perſpicaciorem mentis oculum defigeret in gratiarum mare, Mariam; videretque in hanc unam tantum beneficiorum torrentem, tot decorum

(a) *l. 7. Stell. p. 3. a. 3.*

rivos,

rivos, tot ab ipſa æternitate ſcaturientia ſapientiæ flumina ex immenſo Divinitatis ſinu largiter confluxiſſe, quæ deinde ut Magiſtra optima refudit in diſcipulos; non dubitavit eam prædicare ipſam Sepientiam, & ſic loquentem inducere: *Ego Sapientia effudi flumina, & ex me quaſi flumine oriri feci alia: ego itáque impleta Sapientia ab illo rege, nato de ſtirpe David, & Mater æterni Dei effecta ſapientiæ effudi flumina.*(a)Quorum fluminum celebritatem cum in ſuo *Mari magno*, ut vocat, ſeu tertia Marialis parte, inveniſſet Seraphici Ordinis decus, Bernardinus de Buſti, (b) nolebat ea cum alijs fluminibus committere; ſed qua pollebat diſcretionis virtute, ſecernebat ſingula, ſupérque reliqua elevabat. Super Neronis peritiam, qui omnium artium liberalium, & mechanicarū præceptis inſignitꝰ perhibetur: ſuper Ariſtotelis notitiā,qui elementorum, rerúmq;, naturalium arcana clariori mentis pupillâ penetravit: ſuper Platonis cognitionem,qui ſubſtantiarum ſeparatarum naturas ſtudioſâ

(a) *Lib.* 9. *de lau: B: V.*

(b) *Serm.* 1. *par.* 3.

diosâ indagine dispexit: super Ptolomæi Ægyptij regis scientiam, qui sideribus constanter inhærens, eorum seu amicos seu hostiles obtutus, motus & influxus observavit: super Moysis, ducum sapientissimi, doctrinam, quâ instructus creaturarum originem perfectè novit, & pergnarè edocuit: super Pauli altissimam Theologiam, quam raptus in cælum tertium mente avidâ liberaliter combibit, & divinorum rudibus non parcè propinavit. Tandem sic ait: *Breviter concludo: Virgo benedicta habuit omnem scientiam, atq; cognitionem, quàm unquam aliquis hominum habuerit, vel habebit.* Concludo & ego cum hoc Ordinis sui Seraphino, & quæ hucúsque prolixiùs, compendiose hîc dico universa. Gloriosissima Dei-Parens *scivit plus, quàm omnes Grammatici, Rhetores, Logici, Musici, Geometræ, Arithmetici, Astrologi, Physici, Metaphysici, Legistæ, Canonistæ, Theologi, & quicúnque alij periti in quacúnque arte liberali vel mechanica;* (a) hoc est, MARIA non tantùm fuit unica, eáque verissima

(a) *Par. 2. Marial. serm. 5.*

Miner-

Minerva; ſed omnium omnino honeſtiſſimarum artium & ſcientiarum
Antiquiſſima, Ampliſſima, & Celeberrima
VNIVERSITAS.
Dixi.

PRÆCONIUM.

AUdi, fili mi, diſciplinam (DEI) patris tui, & nè dimittas legem (*ne obliviſcaris eruditionem*) matris tuæ (*Mariæ*) ut addatur gratia (*præmium Sapientiæ*) capiti tuo, & torques collo tuo: Vſquequo parvuli (*ſeducti ab impoſtoribus*) diligitis infantiam (*ludicra ſtudia*) & ſtulti (*ſimplices*) ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient. In Prov. c. 1. v. 8. 9. & 22. Cornel: à lapide.

ORA-

ORATIO XV.

Ad amatores MARIÆ, & litterarum, parænetica.

AD vos demum totus convertor, AA. quos vel ſinceræ Sapientiæ, ac honeſtiſſimarum artium cepit pulchritudo; vel quos curioſa ſciendi cupiditas ad inanes, mendaces, & tū vitæ pernicioſas, tum ingenijs indecoras ſtudiorum pompas, oſtentationéſque pertraxit.

Vtrorúmque certè conditio me vel delectat, vel medullitus contorquet. Gaudeo enim, non paucos veſtrûm, præterquam quod incitatas ad ſumma indoles, & capaciſſima omnis litteraturæ ingenia nacti, ſupra cæteros emicueritis, ſolidiſſima inſuper integerrimáque ſcientiarum pretia & ſplendores adeo copiosè in animos veſtros induxiſſe, ut ſupra gem̄arum fulgura, ſuccenſas ignibus purpuras, rutilantes Adamantis radios nitidiſſimè refulgeatis.

geatis. Doleo tamen etiam non mediocriter, quòd multi non minoribus â natura donati gratijs in tam opima disciplinarum affluentia non solidis sobrijsque intenderint, vel adhuc intendant ornamentis; sed in nescio quas curiositates abrepti pro auro bracteam, pro veritate fucum, pro soliditate mollitudinem, pro duratura supellectile inanes bullas, futilia parerga, strepera crepitacula, leves tænias, uno verbo, splendidas putatæ scientiæ nugas comparent, & amplectantur. Et quæ causa tantæ in mortalium studijs diversitatis? melior ne assignari potest, nisi quia illi secuti sunt fontem, in quem thesauri sapientiæ & scientiæ Dei affluebant; isti quia non auspice Deo, non Sapientum Doctorum ductu, sed blandiente corruptorum sciolorum invitamento temere ad artes contenderunt, ideóque quibusdam sciendi illecebris illecti crumenas potius suorum instructorum auro, quàm mentes proprias solidis eruditionibus locupletârunt? Magistrorum certè
delectus

delectus non minore solicitudine habendus est, quàm prædivitis substantiæ patrimonia filijs comparanda. Illi siquidem virtutis, hæc vitiorum sunt fomenta. Enervantur non pauci, ut plurium sint patres corporum, animorum patres esse, aut aliunde accersere, vel negligunt, vel tales adoptant, qui ad sæculi perversi mores cincinnati discipulos suos exercent in pugilatus dexteritate, linguarum diversitate, equitandi studio, saltandi agilitate, loquendi mollitie, sentiendi libertate, fucata conversandi ratione; quique conspurcatis per occultos affectus, & affectuum turpitudines proprij animi dotibus præclaras indoles ita ducunt, ut quandoque plures habeamus viros iniquitatum, quàm publicæ utilitatis. Tales profectò juvenum directores non aliter fugiendi sunt, ac dulcia lentéque serpentia venena; & curis oculatissimis eligendi, quorum transfusæ in ceream juventutem doctrinæ divinam quandam imaginem exprimant, ac non-

nisi cœli boniqúe publici procuratores efforment.

Agite proinde tot, quot artium studijs animos applicuistis; & MARIAM habere magistram vel constanter pergite, vel alacriter inchoaete. Non tam fortunata conditio apparuerit Herculi cum magistro suo Atlante, Achilli cum Phenice, Alexandro cum Aristotele, Traiano cum Plutarcho, Carolo Magno cum Alcoino, Angelico Thomæ cum Alberto, alijsque discipulis cum viris, virtute ac rerum peritiâ integerrimis, quàm hæc vestra reverâ fuerit, si, quæ ipsius Incarnatæ Sapientiæ Mater est, audiveritis magistram, simúlque studia omnia eidem consecraveritis.

Audivistis non semel, quot ac quanti viri, communibus foti nutrimentis, ex hac Mariana Universitate ad regnorum coronas, principum tiaras, antistitum mitras, magnatum torques, Doctorum epomides abierint; quibus singularem curam & patrocinium impenderit, non pigebit attendere. Periclitabatur magnus

gnus ille miraculorum Thaumaturgus, & ævi sui Moyses, Gregorius, nè Origenis magistri sui erroribus involveretur, & â rectè credentium tramite deflecteret; non deseruit eum MARIA, sed periculum avertit omne, & submisso, dilectissimo suo discipulo, Joanne, ut symbolum orthodoxæ fidei exponeret, infallibilis Sapientiæ clypeo communivit. Peregrinus quodammodo fuerat in sacrarum scripturarum mysterijs Joannes Antiochenus: non tulit hoc mundi Magistra; sed eundem domesticum suum filium actutum ablegavit, qui difficultatum nodos dissolvit, tricas extricavit, tantúmque effecit virum, ut in illustrandis sacrorum librorum apicibus Chrysostomo par, in aureo Evangelij præconio non impar commendaretur. Laborabat divinarum litterarum cognitione Rupertus, Tuitij Abbas, illud Benedictini dicam? an Benedicti Ordinis decus: non distulit ei succurrere laborantium recreatrix; sed tanta clienti suo mox indidit lumi-

na, ut in revelandis ſcripturæ arcanis palmam omnibus ſui temporis Interpretibus præripuerit. Quid de alijs politiorum litterarum Studioſis proferam ? Nunquid devotiſſimos habemus clientes Elzearios, Wenceslaos, Leopoldos, Caſimiros, Stephanos & Ladislaos, qui Marianæ Univerſitatis membra, & avidi diſcendi diſcipuli â gentium Moderatrice tantum hauſerunt doctrinæ, quantum vel ad explendum appetitum, vel ad feliciter gubernandas provincias abundabat ? Colit etiamnum Bohemia auguſtiſſimis ornatam manibus Imaginem Deiparæ, ad quam in rebus dubijs velut ad domeſticum oraculum recurrit, quamque nonniſi cum vita â ſe dimiſit angelicus Dux Bohemorum. Recolit etiamnum Ungaria Sacram glorioſiſſimi Ladislai memoriam, qui bellorum ſuorum Præſidem non aliam habere voluit, quàm quæ eſſet *Caſtrorum acies Ordinata* : hinc contra Lunaticos pugnaturus, illum diem prælio ſuo deſtinavit, quem Orthodoxi veteres Chri-
ſtianæ

ſtianæ *Lunæ*, Virgini conſecrârunt. Celebrat etiamnum Gallia clarum â ſanguine ac rarum ab indole, ſed tardiorem ingenio Elzearium, cui, referente Surio, (a) Deus ipſe Matrem ſuam dedit præceptricem, ut ab ea multiplicis eruditionis hauſtibus potaretur. MARIA nimirum illud gratiarum eſt mare, quod ſoliſſimæ Sapientiæ hauſit flumina, ut in alios iterum dimanaret; eſt admirabile illud ſpeculum, quod æterni luminis recepit radios, ut in tenebroſos mortalium intellectus refunderet; eſt opulentiſſimum illud ærarium, in quod inexplicabilium pretia theſaurorum congeſta ſunt, ut in tenues ac egentes egereret. Quid igitur eſt, Auditores, quòd non omnes ſitenties ad fontem; non omnes lucis amatores ad hoc ſpeculum; non omnes ſcientiarum egeni ad hoc ærarium; non omnes ſtudioſi ad hanc ampliſſimam Univerſitatem concurrant? Accurrite! ecce invitat nos materna benignitate: *Venite filij, audite me.* Si ex indignitatis veſtræ con-

(a) *In vita. 27. ſept.*

ſcientia filiali in Matrem affectu ferri trepidatis, ſaltem Davidica promptitudine reſpondete Dominæ: *Servus tuus ſum ego, da mihi intellectum.* Accurrite! ecce propoſita eſt vobis *Domus ſedéſque ſapientiæ;* ut, ſi hoſpitio careatis, recipiamini *Domo*, velut advenæ & peregrini; ſi ab itinere feſſi anheletis, quietis indulgentia detur in *Sede*, quò faciliùs juxta vetus Philoſophi effatum, cujuſque anima ſedendo fiat ſapiens. Accurrite! ecce inclamat Sancta Mater Eccleſia, quæ vos ſuſcepit gremio, portavit utero, potavit lacte, atque ad hunc ætatis florem perduxit: per quidquid charum eſt, vos rogat; per quidquid Sanctum, vos obſecrat, ut hoc ejus ſqualori, quo eſt obſita; lacrymis, quibus perfuſa; curis, quibus affecta, deferatis; & Marianæ, hoc eſt, verè Chriſtianæ ſcientiæ fontes conſectemini, queis poti emotarum mentium ſubtilitates, & tumentes fucos confundatis, ludentium ingeniorum ſophiſmata retorqueatis, & falſarum opinionum portenta configatis.

gatis. Non est Sapiens, nec honorum subsellijs dignus, qui in hac Universitate præcellentem studijs non navat operam. In illius corde non vult habitare Sapientia, cui Sapientiæ Mater cordi non est. Non est discipulus Christi, qui MARIÆ discipulus esse renuit. Eadem utrique schola, eadem doctrina: ut unius scientiam honorare, alterius respuere, sit utriusque conspuere dignitatem. An meliori spiritu agimur, quàm Joannes, reliquique fidei nostræ ductores Apostoli, & Apostolorum succedanei gravissimi Patres? Istos non puduit â Deiparente plura discere; Christus ipse sub disciplina Matris versari decorum duxit; an nos aliter, meliúsque sapere volemus, quàm Christus, & tamen ex veritate Christiani dici, taléſque haberi? O quàm metuo, nè provinciæ, & regna integra, sua tranquillitate hucusque secura, similium quidvis sentiendi libertate, in turbinem se se demum convolvente, immaturiùs convellantur, & in infaustas syrtes,
 ac

ac deflenda ſinceræ fidei ſalutiſque naufragia præcipitentur!

Credite, O Juvenes! credite; hoc naufragandi periculum horret, averſatur, execratur patria veſtra; & ut etiam vicinitatem illius declinet, per amorem veſtræ ſuæque incolumitatis vos obteſtatur, velitis nobilium ingeniorum genios non alijs Muſis; ſed caſtiſſimarum virginum Reginæ, ac irrefragabilium Doctorum Magiſtræ impendere, voſque obſequijs ejus penitus conſecrare. Quod quia â vobis abunde præſtitum ſuppono, (ea enim ſinceris tantæ Patronæ clientibus ſolet eſſe devotio) nefas duco, diutius hìc immorari, illud obiter contentus dicere, quantùm felicitatis alij, neſcio, qua indoctâ ſciendi curioſitate ad evanida, erroneáque diſtracti, conſequerentur, ſi in ſchola MARIÆ, ſeu Marianorum Doctorum politiori litteraturæ vellent invigilare.

Grammatici certè nanciſcerentur hîc reliquarum ſcientiarum fundamentum, non arenæ, non flumini, non

non aëri inſtratum, non vanæ oſten-tationis cæmento compactum, non illiteratarum levitatum arundinibus ſubſtructum; ſed ſolidum, fixum, certúmque. Dirimerent facilè ludicra ſcholarum duella, quæ de interpunctione, de verbis aut ſyllabis ordine ſuo ponendis, de primæ notæ litteris bene locandis, de dictionibus, verborum tranſpoſitione non mutilandis, de vocabulorum uſu, vetuſtate, novitate, concinnitate, inutiliter inſtituuntur: perdiſcerent, quæ in litterarum figuris, vocum ſignificatione, nominum verborúmque expoſitione ſunt ſolida. Dilucida puritate loquerentur; etymologias ſinceras evolverent, obſcuras illuſtrarent, dubias determinarent, & partes orationis omnes conſtruerent ad ſingularem ſive audientium, ſive legentium voluptatem. Nec ignorarent ea, quæ ad vitam beatam, cui nati, & renati ſumus, pertinent; ſublimes ſiquidem hæc Magiſtra facit Grammaticos, qui ex teſſera ſua:

Declina

Declina à malo, & fac bonum, continuò vivunt; averſatur verò

Gramaticos humiles, qui ſolo cortice gaudēt!
Quos non admittit intus pingvedo medullæ.

Poetæ quantos animos, quantóſque ſpiritus non ſumerent in hoc athenæo? quibus amoribus non accenderentur diſcipuli in Magiſtram? quæ affectuum caſtiſſimorum lenocinia non exercerent clientes? quas laudes verſibus non illigarent redundantes tum in Deum, tum in ejus Matrem, tum in ſanctos, tum in alios virtute conſpicuos? Res quælibet efferretur verbis appoſitis, ornaretur elegantibus, decoraretur translatis. Funderent plenos affectibus Elegos, acuerent pungentes vitia Jambos, replerent ſale riſúque modeſto Satyras, modulis variarent Lyricos, exprimerent heroas poëmate, ſimplicitate ruſtica condirent Eclogas, ipſos etiam poëtas veteres ſuperarent. Ecquid mirum? illi apud neſcio quas Muſas de fabuloſis Parnaſſi fontibus hauſerunt, ſeu veriùs hauſiſſe ſomniârunt: iſti apud Caſtiſſimam

ſtiſſimam Virginem Mariam de fontibus Salvatoris, qui de Calvariæ monte quinque ſcatebris fluxerunt, ingenioſam ſitim & explerent, & proritarent.

Muſici quid? Conciliarent hîc facultati ſuæ ſaporem omnem, ſvavitatem incredibilem, argutias modulorum melleas, dulciſſimas totius consonantiæ Charites; mollitudinem tamen duritate nemo temperaret meliùs, ut qui nôſſent in hujus vitæ ærumnis dulciſſimè colliqueſcere. Diſcerent præterea vocum inſtrumentorúmque diſparem concordiam; ſed conſonantes cum Deo animos ſimul conſervarent, canerént que concentu tam melico, ut feros etiam mortalium genios cicurarent, concentu interim virtutum beatas cælorum mentes ipſúmque Deum excirent in amorem. Adeo perfecta, & vehemens eſt muſicæ artis facultas in hac Vniverſitate!

Rhetores porrò non minore felicitate ſuam quóque componerent, expolirent, & abſolverent eloquentiam.

tiam. Pectus, mentémque instruerent eruditâ argumentorum soliditate, ut ex corde, non ore nata dici posset oratio. Conformarent cordium proditrices lingvas, quia per eas, velut per canales conceptam intus Sapientiam fluere necesse est. Ipsa ora implerent melioribus verbis, fortioribus dictis, doctioribus sententijs; ostenderent suam in rebus sublimibus majestatem, suam in vibrandis sententijs gravitatem, suam in affectibus vehementiam, suam in mulcendis animis svavitatem. Nullum ignorarent eloquentiæ melioris genus, nullam elocutionis virtutem, nullum sermonis characterem, ut vario ac omni modo â gratis discipulis prædicari posset Magistra, quam beatam dicunt omnes generationes, etiam Oratorum.

Philosophi, Bone Deus! quàm solidò, nullóque adversariorum robore expugnabile consequerentur scientiæ suæ munimentum. Non opinationibus & vacuis conjecturis cum æmulis decertarent; sed argumentorum

torum

torum nervo, & medullâ propugnarent arcana naturæ, evolverent caussas, notarent effectus, rerum virtutes perspicuis cognitionibus complecterentur. Scrutarentur, ac metirentur terras, & nihil minus intenrent, quàm terram: lustrarent stellas orbibus suis affixas, & tota mente cælo hærerent affixi: discuterent num sol, Luna, cæteráque sidera in hæc inferiora ita influant, ut in ipsas etiam animas aliquid propensioris voluntatis depluant; & tamen non nisi â Sole Justitiæ, Pulchráque ut Luna, Maria optarent influxus, quibus mergi vellent, & submergi, ut â tam felici morte (si tamen mors dicenda est) felicissimi dicerentur Philosophi.

Medici, quis dubitat? hinc exirent non tantùm doctissimi, sed & fortunatissimi, quales in provinciarum urbibus veneramur plerósque morborum profligatores, & sanitatum nostrarum vindices: nec tam audacter divinarent tyrones aliqui in aliena vita, & sangvine, quem dum

curare

curare intendunt, tunc primùm ſcientiam ſuam mercantur; tunc primùm incipiunt erudiri, poſtquam multorum animas proturbârunt de corporibus, quorum morbos, morbórúmque principia, defectu ſcientiæ, non cognoverunt. Si ſinceri clientes, integriq́ue forent Mariæ diſcipuli, condiſcerent ſanè infirmitatum cauſas, & turbati temperamenti originem vel effectum; caperent certiora ſigna, num morbi ab effuſa bile, vel præcordiorum æſtu; â viſcerum frigore, vel prodiga humoris diffuſione; â ſanguinis abundantia, vel defectu, ſimilibùſque mutâtionibus accerſantur. Plenam deniq́ue medendi ſcientiam combiberent, quia non poteſt nonniſi copiosè fluere *Pelagus curationum* (a) MARIA.

(a) *S. Damaſc. or: 2. de dormit.*

Juriſperiti quóque ſupremas rectáſque lineas ſuæ peritiæ inducerent, & juris legúmque interpretationibus illuſtrarentur. Quid enim? ab ea non reflecterent fulgentiſſimi radij in diſcipulos, quæ totum Juſtitiæ Solem

lem in ſe collegit? A totius generis humani *Advocata* non diſcerent advocare ſtudioſiſſimi, devotiqúe clientes? A Matre pijſſima non inſtituerentur illâ pietate, ſine qua ex mente Sapientum néque veritas, néque ſine veritate juſtitia conſiſtere poteſt? Vt inſolens prorſus paradoxum videatur: negligere pietatem, jus tamen ſuum cuique dicere; & non parvum Reipub: monſtrum ſit Advocatus inſignis, & non pius. Vultis ſcire, quid factu opus, ut integerrimi Juris dicundi Antiſtites & ſitis, & prædicemini? Dicam. *Gemmam gemmarum*, Mariam, portare in pectoribus neceſſe eſt; teſte ſiquidem Æliano (a) illi apud veteres juſtiſſimi cenſi ſunt, qui imaginem ex Sapphiro, *gemma gemmarum* dicto, de collo in pectus pendulam geſtabant. Ex hac gemma, credite, pretium veſtri faciet Reſpub. pluréſque alias in theſauros veſtros cum hac referetis, quia Maria mare eſt, gemmarum parens. Ab hac gemma habebitis claritatem ad turbas, & honorem apud

(a) *Lib.* 14. *vet: hiſt.*

(a) Sap. c. 8. v. 10. Seniores; (a) unde non inanibus compellantium assentationibus, sed solidæ veritatis præconio *Doctores Clarissimi* diceminì.

Sed & alij titulorum nominúmq; veritate in sublimes elevarentur dignitates, si, quam hucúsque prædicamus, Eximiæ Magistræ ingenium operámque suam consecrarent.

Theologi enim verò aliàs semper Eximij, hìc tamen â copiosa Marianarum gratîarum communione eximij minimè forent. Una scientiarum omnium quasi Dea, Theologia, divinos efficeret omnes apud divinæ Matrem Sapientiæ. Erudirentur subtilitate clarissima in controversijs, quæ per scholas, pulpita, & exedras agitantur, simúlque judicij ac ingenij magnitudine commensurantur: imbuerentur doctrinis, quæ fidei regulis, mortalium moribus, vitæque actionibus adæquantur: viderentur sine oculorum fuco, sapientiam non in superficie cerebri, sed in medulla cordis gestare, Deum intelligere, sed simul diligere; ejus

arcana

arcana ſcrutari, ſed ſimul profundè venerari. Prodirent demum in arenam; & obſeſſam curioſorum opinionibus veritatem ſolverent, inflicta pietati vulnera ſanarent, animarum damna reficerent, fidei neglectum, Deiparæ Sanctorúmque contemptum vindicarent, Deum, unicum felicitatis noſtræ centrum, non ſtatûs (ut vocant) ſuorúmque commodorum idola loquerentur. Quæ cauſa, quòd non pauci reperiantur, qui Sacroſancto Theologi nomine audire volunt, ex æqua tamen nominis ſui menſura non ſentiunt; niſi quia in Zelo Religionis ſunt tepidi, in animarum cura incurij, in pietate erga Deum illiuſque Matrem nimiùm remiſſi? A Numinis ſincero cultu, â Deiparentis devotione, â Cælitum conceſſa veneratione recedere, eſt ab illimi ſempiternæ veritatis fonte abire. Scimus autem, quòd, ſicut rivuli quò magis â fontis vena diſcedunt, eò minus originem ſapiant, ita qui longiùs deductas ab eo bibunt aquas, ipſam fontis ſincerita-

tem non combibant. *Fons est perenniter fluens* (a) MARIA; *fons uberrimus totius Sanctitatis*, (b) quin & *Origo fontium, & fluminum mare, virtutum auctrix, & scientiarum scientia Sanctarum.* (c) Ex hoc proinde fonte qui non biberit; sed in dispersis, & per glebam minus piè opinantum derivatis undis vagatus fuerit, minus theologici dulcoris hauriet; cùm

Dulcius ex ipso fonte bibantur aquæ.

(a) *S. Damasc: orat. de Dorm: V.*
(b) *S. Method. orat. in hypapant.*
(c) *Serm. super Salve apud S. Bern.*

Ad vos igitur revertor ultimùm, O Juvenes! quotquot estis reliqui puræ sinceræque Sapientiæ seu studiosi seu candidati; quotquot ingenuo facilique conatu honestas litteras, litteris famam, famâ immortalitatem aucupamini; imò quotquot spreto solidarum scientiarum commeatu, levibus ludicrarum artium paleis pascimini; néque in Gymnasijs pro lauro, sed in gynæceis pro vanitatis fumo decertantes studetis vultuum fictioni, sermonum blanditijs, vestium varietati, gestuum elegantiæ, adgeniculationum propudijs, lenonum affectibus, citharæ,

atque

atque utinam! non cithariſtriarum, tactibus execrandis. Vos, (maxime poſtremos) iterum atque iterum per avorum veſtrorum pietatem, per parentum exhauſtas curas, per conſervandæ ac illuſtrandæ familiæ veſtræ ſpem, per patriæ, viris integris nonnihil deſtitutæ, ſuſpiria, per ferventia proborum deſideria, per ſauciatæ Eccleſiæ ſpiritum, per ingentia animarum vulnera, per benigniſſimi Dei, faventis cæli, & aſſecurandæ ſalutis veſtræ amorem, obteſtor, atque obſecro, ut â ciſternis diſſipatis, â poculis Circæis vos demum recipiatis, & ad noſtrum ſcientiarum fontem accurratis, indéque quanta poteſtis aviditate hauriatis. Neminem tranſactæ vitæ pudor, vel tepiditas, ſtatus vel conditio, ingenij tenuitas, vel memoriæ debilitas retardet; quia mens omnis, pectus omne, ingenium omne idoneum eſt, ut hinc emergat inſtructiſſimum. Diviti æquè ac pauperi, docto ac indocto, valido ac debili, domino ac ſubdito, probo ac improbo, modò reſipis-

centiæ ſapor non diſſipiat, plenum profundit ſinum. Cuilibet, quamcúnque melioris notæ ſcientiam anhelanti, ex hoc fonte ſapor eſt; prona ex ſcaturigine potatio, larga ex ipſo fundo undarum copia, eáque limpidiſſima dulciſſima ac puriſſima. Vt neceſſe ſit, Marianos diſcipulos, largiter ex ea potatos, in puriſſimos tranſire Doctores; cùm etiam Chriſtus ipſe, omnium Doctorum Alpha, non ex alterius, quàm Mariæ viſceribus egredi voluerit, quia teſte Cyrillo Hieroſolymitano (a) *decebat, ut puriſſimus puritatis Doctor ex thalamis puris prodiret.* Prodibitis & vos puriſſimi Magiſtræ hujus ac Matris Doctores filij, omniúmque doctrinarum terminum, omnis ſpei & fiduciæ noſtræ finem, omnis fidei & amoris metam, omnis perennaturæ felicitatis centrum tandem aſſequemini; ſi, quod hactenus cum reliquis impetrare contendi, Auguſtiſſimam DEI Matrem, MARIAM, omnium ſtudiorum veſtrorum habueritis Patronam, eamque corde puro, & inflammatis charitate


(a) *Catech.* 12.

charitate affectibus continua pietate colueritis, voce pietatis indice invocaveritis. Quod ubi feceritis vel consilijs meis inducti, vel rationum libramentis persvasi, persvasum & ego habebo, me non tantùm paucu-las hasce panegyres, verum etiam ipsum, quem vobis bibendum proposui, Sapientiæ fontem felicissimè coronâsse.

DIXI.



Ad




Ad


MAJOREM DEI INCARNATI GLORIAM,

Et

IMMACULATÆ VIRGINIS MARIÆ HONOREM.

ILle dulcis Dominus, hæc dulcis Domina, quia ille Deus meus, Misericordia mea; hæc Domina mea misericordiæ porta. Ducat nos Mater ad Filium, Filia ad Patrem, Sponsa ad Sponsum, qui est benedictus in sæcula. Amen. S. P. Dam: serm. 11. in fine.





Errores aliqui ſic corrigendi.

In indice orationum *proſtigendos* pro *profligandos*.

pag. 11. lin: 11. *inctementum* pro *incrementum*.

pag. 37. lin: 8. *nomine* pro *nomen*.

pag. 39. lin: *ſanſtum* pro *ſanctum*.

pag. 58. lin: 13. *Neque duum* pro *Neque dubium*.

pag. 67. lin: 22. *aurhores* pro *authores*.

pag. 173. lin. 13. *communicuit* pro *communicavit*.

pag. 228. lin: 13. *Methodo* pro *Methodio*, & lin: 19. *diſperatis* pro *deſperatis*.

pag. 233. lin: 13. *collorare* pro *collocare*.

pag. 242. lin: 14. *aquitatam* pro *aquitatem*.

pag. 326. lin: 10. *ſquamvis* pro *ſquamis*.

pag. 363. lin: 11. *jucunditabibus* pro *jucunditatibus*.

pag. 407. lin: 20. *ſitenties* pro *ſitientes*.

Aliqua vocabula ſunt variè poſita ut *Guarricus* & *Guaricus*. *Lycaum* & *Lyceum*. *cepi* & *capi*. *eclipſis* & *ecclipſis*. &c. quæ benevolus Lector facile corriget.

FINIS.